




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [1]




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [1]



Early European Books. Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [1]

G. Meijerius


B. 131

KN 224


A 53

1


110




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [1]




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [1]




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [1]




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [1]





Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [1]



COMPENDIVM
ETHICÆ
ARISTOTELICÆ

Ad Normam Veritatis Christianæ revocatum,

A B

ANTONIO WALÆO, SS. Theol.
Doctore & Professore.

Accesserunt ejusdem

ORATIONES DVÆ

Cum

HYMNO AD DEVUM,




THEODORI SCHREVELIT
JAMBI MORALES

Continentes totius Philosophiæ Moralis
summa capita ac præcepta.



Lugd. Batavorum
Ex Officina Elseviriana,
—
1614.





*Amplissimis, Reverendis, Doctiss-
misque Viris,*

D. IACOBO SCHOTIO, Exconsuli,

D. SIMEONI BEAVMONTIO,
Pensionario,

D. IOANNI VISSCHERO, Con-
sil. urbis Middelburgensis;

E T

D. HERMANNO FAVKELIO, } Ecclesiae Christi
in eadem urbe

D. ENOCHO STER- } fidissimis Mi-
THEMIO, nistris,

Curatoribus illustris Scholæ Middelburgensis,
Dominis atque amicis suis perpetuo colendis.

Intra omnes Philosophiaæ
partes, amplissimi ac Re-
verendi Viri, illa jam
olim utilissima humano
generi, non immerito judicata fuit,
qua Ethica seu Moralis appellatur.

A 2 Nam

EPISTOLA

Nam licet cæteræ in contemplatione rerum occupatae, mentem hominis supra seipsam evehant, & plurima, quæ vitam ejus ornatiorem ac beatitudinem reddant, passim suppeditent; sola tamen Ethica actiones humanas virtutis splendore illustrat, normasque ac formas prescribit, quibus hominum mores in civitate, familia, & privata conversatione honestatem induunt, atque à bestiarum, latronumque sociate distinguuntur. Hæc res effecit, ut jam olim viri quidam magni, quos Deus inter Gentiles ad ipsorum ἐλεγχον excitavit, in hac quoque Philosophiae parte excolenda diligenter laborarint, atque inter eos præ ceteris Plato & Aristoteles. Ac licet sint, qui existiment Platonem in doctrina Morum tanto esse superiorem Aristotele, quantum in rebus Physicis Aristoteles Platonem antecellit; obtinuit tamen jam aliquot seculis inter Christianos, ut Aristotelica scripta in Scholis atque Academiis

DEDICATORIA.

Academiis, hoc etiam in genere, Pla-
tonis commentationibus præferren-
tur. Nobis vero in præsentia hanc li-
tem nostram facere non est proposi-
tum. Est enim, ubi Platonis doctri-
na Aristotelis præcepta longe antecel-
lit. Est vero rursum, ubi Plato ab Ari-
stotele recte reprehenditur atq;
emendatur. Quandoquidem tamen uterq;
licet inter gentiles cæteros longe emi-
neat, S. Scripturæ, Spiritusque san-
cti vera luce destitutus fuerit, ac
proinde in decretis & præceptis suis
haud exiguos errores commiserit; id-
circo utilem omnino operam Rebus-
pub. Ecclesiisque Christianis præstant,
qui eorum virorum ac similiūm scri-
pta suo loco quidem suspiciunt, &
quæ ab iis erudite ac laudabiliter sunt
tradita aliis commendant; ita ta-
men ut debita ac necessaria libertate
tanquam Christiani in eorum nœvis
notandis ac refellendis utantur. Alio-
quin enim ex illorum autoritate,

A 3 in

EPISTOLA

in teneris juventutis animis paulatim præjudicia formantur, quæ deinde adultis magno labore vix eximi possunt; atque in Rebus pub. Ecclesiisque Christianis magnarum turborum sæpe sunt causa; quum Theologiam Christianam ad normas doctrinae Aristotelicae, non contra Aristotelica decreta ad normam veritatis Christianæ conantur dirigere. Cujus rei multa exempla & domi & foris afferri possent, nisi vulnera potius sanare, quam refricare, nobis hic esset constitutum. Hæc ratio me movit, Amplissimi ac Reverendi Viri, quare, cum in illustri vestra Schola, inter cetera, hujus quoque scientiæ institutio mihi à vobis antehac esset mandata, compendium aliquod illius ex ipso Aristotele discipulis nostris proposuerim; in quo, pro tenuitate judicij mei, quæ in Aristotele aliisque utilia occurrunt, breviter & perspicue à me seligerentur. Quod compendium etsi

DEDICATORIA.

et si eo fine conceptum non fuit, ut unquam lucem adspiceret, quia tamen ejus editio mihi à vobis, ante meum ex Ecclesia ac Schola vestra in hanc Academiam discessum, serio commenda fuit; non potui hac in re judiciis postulatisque vestris deesse; sed diebus aliquot ejus recognitioni impensis, illud in lucem emitto; ut illi, qui id antehac à me audiverunt, ejus memoria recolere, & alii, si qui velint, in hac quoque Philosophiae parte, ejus manuductione juvari ac dirigi possint. Scio alios quoque antehac in eo genere laborasse, quorum diligentiae hac mea opella nihil detractum volo; optem tamen Philosophos Christianos majori libertate in hisce castigandis nonnunquam uti, quo minori cum periculo ipsi fontes deinde à juventute adiri possint: sed dum ab Aristotelis placitis vix latum unguem audent discedere, in cœlestem veritatem coguntur esse injurii, aut ipsum Aristotelem

A 4 tolens

E P I S T O L A

telem contra ejus mentem loquentem
faciunt. Inter Theologos nostros Me-
lanthon & Danaeus industriam suam
hic quoque Ecclesiis probarunt: sed
cum paucula tantum ex Aristotele in
usum suum traducunt, plurima ve-
ro alia ex ipsa S. Theologiae praxi in
opus suum transferunt, novum plane
opus, & alterius generis ab iis est con-
structum, atque adeo ad Aristotelem
aliosque Ethicos recte intelligendos pa-
rum utile. Nos ergo conati sumus in
hoc exiguo opere utrumque præstare,
nempe materias ab Aristotele in Ethi-
cis ad Nicomachum præcipue tracta-
tas, collatis quoque cæterorum Philo-
sophorum opinionibus, eodem fere or-
dine compendiose proponere; & erro-
res in eis à me observatos ad veritatis
Christianæ normam corrigere. Vobis
vero, Amplissimi ac Reverendi Viri,
laborem hunc meum qualemque
inscribere volui, tum quia in Schola
vestra est natus, atque editionis ejus
michi

DEDICATORIA.

mihi fuistis authores; tum quoque ut
grati animi adversus vos, & studii
mei erga Scholam vestram aliquod
documentum præberem. Valete Am-
plissimi ac Reverendi Viri; Deum ro-
go, ut vos Reipub. & Ecclesie suæ diu
incolumes servet. Lugduni Batavor.
ex Musæo nostro IV. Nonas Septem-
bres, Anno salutis partæ 1620.

Vestræ Amplitudini ac Reve-
rentiæ addictissimus

ANTON. WALÆVS.

A S I N

IN COMPENDIVM

E TH I C V M,

Rev. & Clariss. Viri

D. ANTONII WALÆI,

Amici veteris & collegæ
honorandi.

QVi placita veterum, lubricosque
Stagira,
Et Socrateos & Platonis anfractus,
Fastumque voluis porticus Cleanthea,
Atque inde cristas, inde spiritus sumis,
Ceu cuncta doctus, seu peritior cunctis;
Dedisce multa, nosse si paras plura;
Et disce pauca, nosse si paras multa.
Qua nunc VValaus veritatis aeterna
Patronus acer explicat tribus chartis.
Humanæ ratio viribus suis nixa,
Velut minuta puppis in tenebroso
Deprensa ponto, sauentibus ventis,
Erratque, voluiturque, nec sibi constat.
Hæc una virtus veritasque dat mores,
Quam veritatis norma, veritas ipsa,
Deus, Deique natus, ore divino (scit.
Christus profudit, Christiana mens di-
Hæc ad beatam sola sufficit vitam,
Quippe ad futuram sola sufficit vitam.

DAN. HEINSIUS.

Com:



LI

Compendium
ETHICÆ

ARISTOTELICÆ

At Normam veritatis Christianæ
revocatum,

A B

ANTONIO WALÆO.

PHILosophia, Latinis sapientiæ studium, duplex vulgo statuitur, Instrumen- talis scilicet, & Principalis.

Instrumentalis propriæ Logica dicitur: quæ ideo ὀργανὸς ab Aristotele appellatur, quia præceptis & regulis suis dirigit mentem hominis in indagatione ac cognitione rerum.

Principalis vero vocatur, quæ versatur circa res ipsas; & vulgo definitur, Cognitio rerum divinarum atque humanarum, quantas homo commentando hic consequi potest.

Ea

12 INTRODUCTIO

Ea rursum est duplex, Contemplativa scilicet, & Activa.

Contemplativa, græce θεωρία, appellatur, quæ sola rerum contemplatione seu cognitione est contenta.

Complectiturq; Metaphysicam, Physicam, & Mathematicam. Metaphysica agit de summis causis, speciebus, & affectionibus entis, qua ens est. Physica de causis, speciebus, atque affectionibus rerum naturalium, quæ cœlo & terra continentur. Mathematica denique de speciebus & affectionibus quantitatis continuæ & discretæ: idque vel abstracte & absolute, ut Geometria & Arithmetica; vel concrete & relate ad certa subjecta, ut Astronomia, Geodæsia, Cosmographia, &c.

Activa, græce πρᾶξις, ea pars Philosophiæ dicitur, quæ sola rerum contemplatione contenta non est, sed præter cognitionem rerum, actionem & exercitationem earundem quoque requirit.

Ad hoc postremum Philosophiæ genus petinet Ethica. Nominatur autem Ethica à græca voce ἡθική, id est mos seu consuetudo, quia versatur circa hominum mores; quapropter & latine *scientia moralis* appellatur.

Defi-

Definiri potest, *Scientia practica hu-*
manarum actionum quatenus in illis Defini-
tio Ethic-
am.
honestas locum habere potest.

Genus ergo ejus est *scientia*, quia
 etsi in ea demonstrationes tam exactæ
 requirendæ non sint, quales in mathe-
 maticis extant, tamen certis argumen-
 tis nititur, quæ hominis animum con-
 vincere, & de veritate sua persuadere
 possunt.

Practica vero dicitur, quia non suf-
 ficit præcepta de honestis actionibus
 cognoscere: sed præterea requiritur eo-
 rundem præceptorum actio & exerci-
 tatio. Nihil enim prodest, si quis sciat,
 quæ sit justitiae aut fortitudinis natura,
 & quomodo à contrariis vitiis distin-
 guatur; nisi easdem virtutes in vita sua
 exprimere, & contraria vicia fugere co-
 netur.

Et hæc est causa cur Aristoteles ini- Quis fit
idoneus
Ethicæ
auditor.
 tio Ethicæ suæ neget Adolescentes esse
 idoneos Ethicæ auditores, nempe eos,
 qui τοῖς πάθεσιν ἀκρατηνόγενοί εἰσιν, i. qui
 cupidinibus suis transversum acti pa-
 rum curant; quid in actionibus hujus
 vitæ honestum sit aut in honestum. Ado-
 lescentes ergo intelligit, τινὲς οὐλικοὶ
 εἰποῦσι, aetate & moribus, ut ipse lo-
 quitur.

14 INTRODVCTIO

quitur. εντοπίζεται γένος ή επιφύλαξη από
αλγή τον πάθειαν. id est, defectus hic
non est ab aetate: sed ex eo quod secun-
dum affectus vivitur. Requirit ergo ta-
lem auditorem qui ipse bonis moribus
institutus est, vel saltem bene monen-
tem paratus est audire & sequi.

Differentia in hac definitione sumi-
tur ab objecto proprio, & ejus conside-
randi modo.

*Ethicæ
objectum.* Objectum Ethicæ à multis statuuntur affectus seu perturbationes. Quæ sententia non est aliena, si de præcipua objecti parte intelligatur: nam hoc præcipue agit Ethica, ut affectus humani rectæ rationi subjiciantur. interim tamen pro objecto toto seu adæquato haberi non possunt: quia Ethica ratio- nis quoque cæcitati & voluntatis cor- ruptioni per præcepta sua aliquo modo medetur.

Magis proprie ergo loquuntur, qui objectum adæquatum Ethicæ statuunt *actiones humanas*, non tamen quovis modo consideratas, sed *quatenus τὸ πεῖσμον* seu *honestas in iis locum habet*, & *quatenus virtutis capaces sunt*; quia omnia quæ in Ethica tractantur, ad hunc finem ac scopum referri possunt.

Hæc

Hæc scientia vulgo dividi solet in tres species. Quarū prima versatur circa actiones cuiusq; hominis per se considerati, & Ethica strictiori modo dicitur. Secunda versatur circa actiones hominis quatenus familiam habet aut pars ejus est, & Oeconomicā vocatur. Tertia versatur circa actiones hominis quatenus præest civitati, aut mem- brum ejus est, & Politica appellatur.

*Ethica
divisio.*

Nobis tamen magis placet aliorum divisio, qui Ethicam dividunt in duas species. Quarum prima generalis est, quia in genere tractat de actionibus viri boni quocunque modo considerati. Altera vero, quæ ea, quæ in genere de moribus dicta sunt, ad certa & peculiaria subiecta applicat. Quorum primum & principale est civitas, unde Politica dicitur; secundum familia, unde Oeconomicā; tertium denique homo singularis, unde morum Comitas seu Civilitas appellatur.

De primo genere, quod reliquorum est fundamentum, nobis proprie hic agere propositum est, idque secundum ordinem quem Aristoteles in Ethicis suis ad Nicomachum servavit, correctis tamen iis, in quibus vel defectus est, vel

à re-

16 INTRODUCTIO

à veritate aberravit, ad normas religio-
nis Christianæ; in qua sola veram & per-
fectam de moribus doctrinam tradi,
apud omnes Christianos in cōfessio est.

*Vsus
Ethicae.*

Quandoquidem vero omnis ars &
scientia sua utilitate se probat, usus
quoque hujus scientiæ breviter à nobis
sunt indicandi.

1. Hæc scientia non absurde statui-
tur fundamentum civitatum, & bona-
rum legum in civitatibus. Unde & So-
crates gloriari est solitus, se Philo-
sophiam è cœlo in civitates derivasse;
quia cum ejus temporis Philosophi de
rebus contemplativis & astronomicis
fere disputarent, ipse primus disputa-
tiones de moribus instituit, & de iisdem
præcepta certa discipulis suis tra-
dedit; unde & ad juris civilis scientiam
plurimum utilitatis affert.

2. Hæc scientia usum etiam insi-
gnem in Theologia habet; quia nobis
indicat reliquias legis naturæ, & quod-
nam discrimen honesti atque inhono-
sti ipsis quoque Gentilibus cognitum
fuerit.

3. Nemo cum idoneo fructu ver-
sari poterit in veterum scriptorum le-
ctione, nisi hujus scientiæ aliquam co-
gnitio-

gnitionem percepit. Nam plerique tractatus, qui à veteribus Philosophis conscripti sunt, particulæ quædam sunt hujus scientiæ. Oratores sententiis ex Ethica petitis sunt pleni. Historiæ ipsæ, præter judicia Ethica, quæ passim occurruunt, exempla humanarum actionum ubique proponunt, quæ ex Ethicis regulis judicari debent, honestane an inhonesta, laudene an vituperio digna, imitanda sint an fugienda.

Vt vero genuinus hujus scientiæ usus *Discri-*
tanto melius cognoscatur, discrimen *men E-*
Ethicæ Christianæ & Aristotelicæ bre-
viter hic adnotandum. *thicæ*
Christianæ & A-

1. Ethica Aristotelis, præterquam *Aristoteli-*
quod plane ignoret Euangelium, & *ea.*
virtutes quæ ad Euangelium proprie
spectant, legis quoque moralis præce-
pta valde imperfecte tradit.

2. Nam de præceptis primæ tabulæ
parum aut nihil agit, in qua tamen vir-
tutes præstantissimæ continentur. Py-
thagoras, & Plato hic paulo feliores
fuerunt, quia in Syria & Ægypto pere-
grinati sunt, & ab Hebræorum sapien-
tibus multa didicerunt, quæ Aristote-
les vel nescivit vel neglexit.

3. Nonnullas quoque virtutes se-
cundæ

cundæ tabulæ Aristoteles præterivit, ut misericordiam, obedientiam superioribus debitam, &c. imo & vitia quædam virtutum loco habuit; ut vindictam aliquam sui ipsius laudabilem judicat; primos affectuum seu concupiscentiæ motus inter vitia non ponit, cum tamen præcepto decimo prohibeantur.

4. Denique Aristoteles verum principium, & verum finem verarum virtutū ignoravit. nam Principium omnium actionum virtutis, ex virtutis habitu tantum educit; cum tamen & fides in Deum per Christum, & Charitas seu reverentia Dei, virtutum verarum actiones ex ipsarum habitibus educant, & in finem rectum dirigant. Finem ultimum propter quem virtus exercetur statuit ipsam honestatē. De gloria Dei, & felicitate futura, ad quam omnia, etiam ipsa honestas, referenda sunt, merum hic est silentium. Unde necessario consequitur, si quis in hisce Ethicis extra erroris periculum versari velit, omnes hujus scientiæ partes esse corrigendas ad normam Verbi Dei, & ex eo esse supplenda, quæ hic desunt.

Ut ergo scientia hæc methodice & brevi-

Partitio
hujus
compen-
dii.

breviter à nobis tractetur, idque secundum ordinem quem Aristoteles secutus est, primo de ipso Summo Bono agemus, deinde de Mediis ad summum bonum ducentibus. Omnis enim scientia practica à summo ejus fine incipit, quia summus finis amorem conciliat mediis, & ordinem in mediis constituit.

Media hæc virtutes sunt, & contraria earundem vitia; virtutes ut viæ, ad summum bonum tendentes; vitia ut avia, ad summum bonum contendenti sedulo vitanda.

De virtutibus autem, duobus modis agendum; primo in genere, de earum causis internis atque externis, subiecto item atque objecto; deinde in specie de singulis virtutibus, atque illarum oppositis vitiis. Virtutes autem sunt duorum generum, simplices, & compositæ. Simplices rursum vel voluntatis vel intellec-tus: compositæ, virtus heroica, & amicitia. Hunc ordinem sequitur Aristoteles, ideo & nos eum sequemur.

De summo enim hominis bono agit lib. I.

De causis & objectis virtutum generalibus agit lib. 2. & prima parte tertii.

De

De virtutibus voluntatis reliquo lib.
3. item 4. & 5.

De virtutibus intellectus, lib. 6.

De virtutibus compositis ; nempe
virtute heroica agit lib. 7. de amicitia
lib. 8. & 9.

Denique de voluptate & beatitudi-
ne contemplativa, lib. 10.

PARS PRIMA

De summo hominis Bono.

SUMMVM hominis Bonum
vocatur extremus finis om-
nium actionū humanarum,
quod etiam beatitudo , &
felicitas appellatur. Græci appellant *εὐδαιμονία*, quia nos beatis mentibus si-
miles facit ; vocant etiam *εὐτελία* ab
εὐτελή, id est , bene & feliciter age-
re : item *τὸ ἀγαθόν*, & *τὸ τέλος*, & *τὸ*
εὐχαρίστη.

De eo primum inquiremus, an sic
aliquod summum Bonum : secundo
quid non sit : denique quid sit.

Summum aliquod Bonum esse ho-
mini propositum, nemo Philosopho-
rum unquam negavit, ideoque tam an-

xie

*An sit
aliquid
summū
Bonum.*

xie inquisiverunt , quidnam illud sit.

Probatur vero idem multis & firmis rationibus.

1. Omne animal appetit aliquod bonum sibi proprium , in quo acquiescit. Homo autem est animalium præstantissimum.

2. Natura nihil facit frustra ; atque homo per naturam concupiscit fælicitatem ; ergo datur fælicitas , aut illa concupiscentia esset frustra.

3. Singulæ actiones hominum habent aliquem finem, præcipue vero sapientum. Ergo dandus est aliquis finis summus , in quo actiones hominum tandem acquiescant ; vel dabitur progressus finium in infinitum ; quod est absurdum.

4. Homo est capax infælicitatis , ergo & fælicitatis ; alioquin enim esset creaturarum miserrima.

5. Denique homo instructus est mediis & instrumentis ad summum Bonum ducentibus. Ergo capax est summi Boni. Antecedens probatur, quia præditus est mente, honestatis & fælicitatis intelligente ; item voluntate, virtutis & fælicitatis capace.

1. Quid si aliquod est summum Bo-

num,

num, cur Philosophi in tam varias de summo Bono sententias iverunt, & cur quidam hoc, quidam illud pro summo Bono habuerunt?

Resp. Hanc diversitatem sententiarum de summo Bono, non esse, utrum aliquod sit, quod omnes fatentur; sed quidnam illud sit. Causæ vero cur hic dissenserint, dari possunt,

1. Cæcitas mentis in homine jam corrupto.

2. Studium aliis contradicendi.

3. Denique affectatio inanis gloriæ, qua quisque sibi novam sectam erigere, & eligere voluit.

Nam si Philosophorum sententiæ accurate perpendantur, Epicureis exceptis, qui non aliter Philosophi, quam ignis pictus, ignis, appellandisunt, reliqui omnes deprehendentur re ipsa convenire, etsi in circumstantiis quibusdam varient.

*Vbi sum-
mum bo-
num ac-
quiratur.* At quando homines id assequuntur? Respondet hic Aristoteles, in hac vita quærendum esse summum Bonum homini, & non tum demum cum è vita decesserit. Quæ sententia periculosa est, si verba, ut sonant, accipientur. Alii tamen illum excusant, quod hic agat aduersus

versus Solonem de felicitate civili, quæ in civitate acquiri debet, vel nusquam. Sed hæc excusatio nullius momenti est, quia Aristoteles agit de summo Bono hominis, quatenus est homo, atque omnes animantes cæteras superat, & felicitatis est capax. Melius ergo illum excusant, qui ejus sententiam conferunt cum sententia Platonis, qui statuit in hac vita aliquem gradum summi Boni acquire possè ac debere: perfectam vero ejus possessiōnem demum haberi post hanc vitam, sed ab iis solis qui aliquem ejus gradum hic obtinuerunt. Quæ sententia in Thesi vera est, & cum Christianismo consentiens; cui & ipse Aristoteles videtur consentire lib. 10. Ethicorum, ubi agit de beatitudine contemplativa.

Hactenus prima quæstio, nempe an sit summum Bonum. Sequitur jam ut inquiramus quidnam illud sit. ubi primum sententias falsas refutabimus, deinde veras adstruemus.

Sententiæ falsæ vel sunt vulgi, vel quorundam Philosophorum.

Vulgus hominum fere judicat summam fælicitatem hominis sitam esse in diuītūs, & omnes actiones esse referendas

*Quid sit
summum
Bonum.*

*Senten-
tiæ vul-
gi de
summo
bono.*

das eo ut homo ditescat. Sed hæc sententia viris sapientibus indigna est , & sequentibus argumentis refutatur.

1. Quia divitiæ saepe per injusta & mala media acquiruntur; sumnum autem Bonum non nisi per justa & bona.

2. Quia summi Boni possessores ipsi sunt boni. At multi divitiarum possessores, sunt homines mali & vitiosi.

3. Summo Bono nemo ad malum uti potest. At divitiis multi ad scelera abutuntur.

4. Divitiæ sunt instabiles. Summum Bonum est stabile & permanens.

5. Divitiæ hominis appetitum non implet: nam *quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ*. At in summo Bono hominis mens plane acquiescit.

6. Denique , divitiæ ab optimis propter se non expetuntur, sed propter aliud : sumnum autem Bonum propter se tantum expetitur.

Secunda sententia vulgi, est multorum Politicorum , & virorum Militarium , qui pro summo actionum humanarum fine, gloriam & honorem habent, ut Cicero testatur in Oratione pro Archia. Sed etiam hæc sententia ab omnibus Philosophis rejicitur.

1. Quia

1. Quia honor & gloria s^epe ab indignis acquiritur: summum autem Bonum non nisi à dignis.

2. Quia honor est inconstans: summum autem Bonum est constans & stabile.

3. Quia honor est magis honorantis quam honorati, id est, magis est in potestate & arbitrio ejus qui honorem defert, quam ejus cui honor defertur. At summum Bonum est in potestate possidentis.

4. Denique, quia honor ab optimis propter se non expetitur: sed propter aliud, nempe ut sit testimonium virtutis ipsotum: summum autem Bonum propter se expetitur.

His sententiis rejectis, sequuntur *Sententiae Philosophorum*, quorum *tiæ philosophorum* quatuor sectæ apud veteres præcipue fuerunt celebres, Epicureorum scilicet, Stoicorum, Peripateticorum quorum princeps fuit Aristoteles, & Academicon quorum princeps Plato.

Epicurei summum Bonum hominis in voluptate constituebant: Stoici in habitu virtutis: Peripatetici in actione virtutis: Platonici denique in unione hominis cum Deo.

B Sin-

Singulas has sententias examinabimus, & quantum veritatis in se continent videbimus.

Sententia Epicureorum.

Epicureorum sententia duobus modis explicari solet. Veteres plerique, ut Cicero, Horatius, & alii, sententiam Epicureorum intelligunt de voluptate corporea & sensibus externis oblectationem afferente. Recentiores quidam conantur eos excusare, & per voluptatem eos intellexisse volunt, non voluptratem illam, quam homines cum bestiis habent communem: sed voluptatem animi puram & à rebus corporeis abstractam; qualis animo hominis obicitur ex cognitione rerum insignium, & actione rerum honestarum.

Si igitur Epicureorum sententia hoc posteriori modo intelligi posset, non esset usque adeo absurda; nam omnes fatentur illam animi oblectationem ex illis causis orientem, aut esse summum Bonum, aut saltem summi Boni individuum adjunctum, quemadmodum postea explicabitur.

Sententia Epicureorum refutatur.

Sin vero hæc Epicureorum opinio intelligatur de voluptate corporea, & sensibus externis oblectationem afferente, quemadmodum plerique veteres

res intellexerunt, tum sententia illa absurdā est, & homine indigna, ut ex sequentibus rationibus liquet.

1. Summum Bonum est homini proprium: voluptas autem illa est homini cum bestiis communis.

2. Quidquid parit sui satietatem, tedium, & pœnitentiam, illud non est summum Bonum: at talis est voluptas corporea: Ergo, &c.

3. Quidquid hominem ad honestas actiones ineptum reddit, immo & ad gravissima scelerā excitat, illud non potest esse Bonum hominis, multo minus summum Bonum. Talis vero est voluptas corporea.

4. Summi Boni fruitio cum possideatur impediri non potest: at voluptatum fruitio vel morbi, vel senectute, vel aliis casibus impeditur.

5. Summum Bonum cum virtute pugnare non potest, & quo amplius eo fruimureo meliores simus. At nimia voluptatum fruitio cum virtute pugnat, nempe cum temperantia, & fortitudine. Ergo, &c.

Obj. Illud est summum Bonum quod omnia animantia simul expetunt: At omnia animantia tam rationalia quam

B 2 irra-

irrationalia expetunt voluptatem. Ergo &c.

Respondeo. i. Negatur major, quia illud non potest esse summum Bonum hominis, quod homo una cum bestiis expetit: sed quod peculiariter tanquam homo debet expetere. Deinde respondeo ad minorem; Faremur esse quidé aliquid in homine, quod ad voluptates fertur, nempe appetitum sensitivum; sed illud non est præcipuum quod in homine est: Summum vero Bonum hominis non debet queri in facultate hominis ignobiliore; sed in parte ejus nobiliore, quæ est ratio & mens, cui aliud multo excellentius bonum propositum est quam voluptas.

Hæ responsiones Philosophorum enervant plane argumentum Epicuri; Theologi vero etiam aliter respondent, nempe in minore esse fallaciam accidentis. Nam quod homo ad corporis voluptates sua natura proclivis est, illud non habet ex prima sui creatione, in qua facultas sensitiva, menti sanctæ & ad imaginem Dei conditæ plene subiecta erat: sed ex corruptione & peccato, quod naturam hominis postea invasit, quo factum est, ut mens sua sanctitate desti-

destituta , sensitivæ facultati imperare nec velit nec possit , nisi illud vitium à Deo refrænetur ; quemadmodum id in quibusdam Ethnicis refrænavit ; vel nisi corrigatur per Spiritū Sanctum , quemadmodum sit in iis , qui per fidem in Christo regeniti sunt .

Refutatis sententiis manifesto absurdis , restat ut illas examinemus , quæ veritati magis sunt consentaneæ , & simul ostendamns qua in parte illæ sententiæ defectæ sint .

Stoici , Peripatetici , & Academicci in hoc consenserunt , quod summum hominis Bonum in virtute sit quærēdum . Argumēta quæ eos moverunt , hęc sunt .

1. Illud est summum hominis Bonum , quod præstantissimam partem hominis maxime ornat & illustrat . At virtus mentem hominis , quæ præstantissima ejus pars est , maxime ornat & illustrat . Ergo virtus est summū Bonū .

2. Illud est summum hominis Bonum , quod hominem Deo quam summulum reddit : hoc vero est virtus .

3. Illud est summū hominis Bonum , quod nullus Fortunæ casus ab homine auferre potest : at hoc est sola virtus .

4. Illud est summum hominis Bo-

B 3 num ,

num, quod jucundissimum, honestissimum, & maxime laudabile est: hoc autem est virtus.

5. Denique, illud est maximum hominis Bonum, quod omnia minora bona, honesta & vere bona facit. At virtus facit, ut divitiæ, honores, valetudo, &c. recte ab homine usurpentur. Ergo illud est maximum hominis Bonum.

*Dissensus
inter
Stoicos
& Peri-
pateti-
cos de
summo
bono.*

Hactenus ergo Philosophi inter se convenerunt. Sed inter Stoicos & Peripateticos quæstio nobilis movetur, si ne habitus virtutis maximum illud Bonum, an vero virtutis actio. Fatebantur quidem utrique, utrumque semper conjungi; nam' actio virtutis nulla constans est nisi ex habitu proficiscatur; & habitus virtutis in mente nullus esse potest, nisi actiones suas producat.

Contendunt tamen Stoici, si hæc duo inter se conferantur, eminere virtutis habitum: Peripatetici vero contra, antecellere virtutum actiones.

Stoicorum argumenta hæc sunt.

1. Illud quod à nobis potest auferri, vel ab alio impediri, non est sumnum, sed eo aliquid est majus. At actio & exercitatio virtutis potest tolli & impedi, habitus vero nunquam. Ergo non.

non actio, sed habitus est summum illud Bonum.

2. Illud est maximum Bonum, quod ita est in nostra potestate, ut à nulla alia re pendeat: At solus habitus à nulla alia re pendet, actiones vero virtutum pendent vel ab objectis necessariis, vel ab instrumentis; ut in pace fortitudini bellicæ non est locus; in paupertate liberalitati, &c. Ergo, &c.

3. Summum Bonum totum simul possidetur, non per partes. At actiones virtutum simul possideri non possunt, quia nemo omnes virtutes simul exercere potest; habitus vero omnium virtutum simul possidentur. Ergo habitus, non actiones sunt summum Bonum.

Hæc sunt præcipua Stoicorum argumenta.

Peripatetici sua quoque habent, & non parvi momenti, quibus contra probant summum Bonum in virtutum actionibus, & non in habitibus consistere. Primaria hæc sunt.

1. Otiosus & dormiens non potest dici summe felix. Atqui otiosus & dormiens, virtutis habitum habere potest. Ergo in virtutis habitu non est sita summa felicitas.

2. Illud non est summum Bonum, cui aliud Bonum addi potest, quo fiat perfectius. At virtutum habitui addi possunt virtutum actiones, quibus ipsi habitus perfectiores & illustriores redundunt.

3. Summum Bonum propter se expetitur, & non propter aliud. At habitus virtutum expetuntur propter actiones.

4. Quod maximam jucunditatem & voluptatem animi habet adjunctam, illud est summum Bonum. At actiones virtutum, non habitus, maximam jucunditatem & voluptatem habent conjunctam.

5. Quod nos Deo similiores reddit, id pro maximo Bono est habendum. Sed actiones virtutum nos magis Deo similes reddunt, quam habitus; quia Deus in perpetua actione versatur. Ergo, &c.

Stoico-
rum &
Peripate-
ticorum
consen-
sus.

Hæ duæ sententiæ etsi diversæ videantur, non ita tamē pugnant, ut non aliquo pacto possint conciliari. Nam Stoici non sentiunt habitus virtutum sine actionibus esse summum Bonum: sed hoc tantum volunt, illos qui virtute sunt prædicti, etsi exercitatio actionis exterae impediretur, nihilominus tamen manere

manere felices: quia habitum virtutum & actiones earum internas, quæ nunquam impediri possunt, semper possident. Peripatetici quoque nullas veras actiones virtutum agnoscunt, nisi quæ ex habitibus suis proficiscuntur, & cum de actionibus loquuntur, in primis internas intelligunt, quæ nunquam impediri possunt, ac se ubi opus est etiam foris ostentant; & licet omnes simul adesse non possint, tamen propositum eas omnes suo tempore exercendi, à viro beato tolli non potest.

Hæc controversia igitur ita conciliari potest. Sed restat alia quædam quæstio inter Stoicos & Peripateticos agitata, de Bonis nempe corporis & fortunæ, qualia sunt bona valetudo, robur corporis, nobilitas, divitiæ, honor &c. An hæc etiam vere Bona sint appellanda, & an eorum possessio viro beato sit expetenda. Aristoteles ea esse vere Bona statuit, ac proinde etiam expetenda; & licet absentia eorum Bonorum, hominem virtute præditum non possit plane reddere infelicem & miserum: tamen statuit, felicitatem ejus per eorum absentiam obscurari; quia instrumentis destituitur ad quarundam vir-

*Alius
Stoico-
rum &
Peripate-
ticorum
diffensus.*

B 5 tutum

tutum actiones exercendas: immo vero & statum felicitatis labefactari, si, quemadmodum Priamo accidit, grandia infortunia ingruant. Stoici vero hæc plane contemnunt, & ne inter bona quidem numeranda censem, quorum argumenta Cicero explicat secundo paradoxo.

Obj. Atqui, inquiunt Peripatetici, ejusmodi bona fortunæ & corporis sunt utilia, immo nonnunquam necessaria ad quarundam virtutum actiones exercendas. Ergo bona illa fortunæ & corporis virtutem reddunt illustriorem.

Respondent Stoici, Primo per negationem consequentiæ; quia id sit per accidens, propter hominum pravam opinionem, quæ virtutem illustriorem judicat, cum pluribus innotescit, aut splendorem externum adjunctum habet. Deinde, etiamsi concedi possit & debeat, quasdam actiones externas virtutum, per absentiam horum Bonorum impediri: tamen internæ impediri non possunt; & rursum per ejusmodi Bonorum absentiam, suppeditantur occasiones, actionibus virtutum edendis, quæ magis illustres sunt & laudabiles quam illæ quæ impediuntur. E. G.
homo.

homo valetudinarius non potest exercere virtutem liberalitatis ; potest tamen vir fortis etiam in adversa valetudine non minus laudabilia praestare, nempe corporis cruciatus fortiter & patienter ferre ; item divitias & honores parvi facere , & paucis esse contentus ; quæ virtutum actiones magis arduæ sunt, quam priores.

Hæc Stoicorum opinio valde mascula est, & à Christianismo non aliena, si nempe senserint hæc fortunę Bona non esse Bona moralia, nec eorum absentiam, animi felicitatem tollere , imo vero & saepius eam illustrare, ut in Hiebo , Davide , & aliis Sanctis videmus . Sed si intellexerint ea non esse Bona naturalia, quæ sobrie ac legitime expecti ac usurpari possint, injurii sunt in naturæ auctorem.

1. Quia à Deo sunt condita.

2. Quia à Deo saepè conceduntur in præmium obedientiæ , & contraria mala vel pro afflictionibus & castigationibus, vel nonnunquam pro pœnis infliguntur.

3. Denique , et si homines pravi iis prave utantur , tamen id sit per accidentem: boni vero iis bene utuntur, nem-

pe.

pe ut per ea aliis benefaciant, & suas
actiones illustriores reddant.

An voluptas animi sit summum Bonum. Hactenus probatum est, summum Bonum consistere in virtute actiones suas suo tempore producente, cui virtuti tanquam individua comes, semper conjuncta est honesta quædam animi voluptas & tranquillitas. Nam qui virtutis habitum possidet, & eam cum occasio postulat etiam exercet, is animi quadam jucunditate perfunditur, & conscientia tranquilla fructus ; cum contra, actiones sceleratæ animi dolorem & ægritudinem secum trahant. Hinc nascitur nobilis quæstio inter ipsos Peripateticos, an essentia & forma summi Boni, consistat in illa animi tranquilitate, & voluptate quæ virtutem consequitur : an vero in ipsa virtutis forma & natura, quæ hanc animi tranquillitatem semper habet comitè.

Quidam magni nominis Philosophi atque etiam Christiani, statuunt virtutem quidem esse summum Bonum hominis: sed causaliter, ut loquuntur, quia nempe hanc animi tranquillitatem & jucunditatem parit ; ipsam autem illam animi tranquillitatem & jucunditatem esse summum Bonum formaliter. Argumenta

gumenta quibus nituntur hæc sunt:

1. Quod omnes etiam Boni & virtute præditi appetunt, illud est superius Bonum quam ipsa virtus. Sed omnes Boni & qui virtutem jam possident, appetunt etiam illam animi quietem & voluptatem; contrarium vero dolorem ut malum fugiunt. Ergo illa animi tranquillitas est superius Bonum quam sit ipsa virtus.

Sed ad hoc argumentum respondeatur, expeti quidem à virtute præditis hanc animi tranquillitatem, non tamen ut ipsum summum Bonum, sed ut summi Boni adjunctum & fructum, quemadmodum honor ab eisdem expeti potest; cum ipsum summum Bonum, vel ipso Aristotele teste, non tantum maxime sit jucundum, sed etiam maxime honorabile.

2. Illud quod propter se ita expetur, ut propter nullum aliud expetur, est summum Bonum. Hæc animi tranquillitas propter se ita expetitur, ut propter nullum aliud expetur; virtus vero propter hanc animi tranquillitatem expeti potest. Ergo illa animi tranquillitas, non virtus, est summum Bonum.

Respon-

Respondeatur ad hoc argumentum, minorem non esse simpliciter veram; quia etsi illa voluptas propter se etiam expetatur; tamen præcipue expetitur virtutis fructus & testimonium; quemadmodum honor & vera gloria etiam expeti potest.

3. Animi tranquillitas, lætitia, gaudium, & voluptas animi, &c. in omnibus fere linguis pro felicitate & beatitudine usurpantur. Ergo in iis sita est summa fælicitas.

Sed hic etiam responderi potest ad antecedens, esse metonymiam effecti pro causa, item adjuncti pro subjecto; cum animi illa tranquillitas pro felicitate sumatur, quia est felicitatis individuum adjunctum & effectum.

4. Deus ipse in scripturis promittit voluptatem animi & gaudium cœleste, tanquam præmium & finem laborum nostrorum. Ergo summa fælicitas hominis in eo consistit.

Responderi potest ad antecedens, verum quidem esse, hoc gaudium cœleste promitti in futura vita, & animi illam pacem & tranquillitatem in hac vita: sed plura quoque promittuntur, & quæ sunt majoris momenti, nempe Dei visio.

visio & fruitio, item plena sanctitas, & gloria; ac proinde cum scriptura ita loquitur, synecdochice loquitur.

Propter hæc argumenta omnes vere *Virtus* philosophantes agnoscunt, in ipso summo Bono hanc animi tranquillitatem & gaudium reperiri: re tamen accuratius expensa, statuendum est, eam potius esse affectionem inseparabilem, & adjunctū proprium summi Boni, quam ipsius summi Boni formam: essentiam vero summi Boni consistere in virtute, tanquam hujus gaudii causa. Argumenta quæ id demonstrant hæc sunt.

1. Quia non ab illo gaudio, aut animi voluptate nominamur Boni: sed à virtute. Illud autem est essentialiter Bonum, à quo Boni appellamur.

2. Quia homines vitiosi, qui intemperantiae & injustitiae habitum contrarerunt, etiam cum voluptate actiones suas exercent. Si ergo in illa animi oblectatione confisteret forma summi Boni, etiam scelerati aliquam partem ejus aliquando possiderent.

3. Per quod animi illa voluptas consequitur, ut bona & laudabilis sit, illud est majus Bonum, quam ipsa voluptas. At à virtute voluptas illa animi consequitur.

quitur ut bona sit & laudabilis: ergo &c.

4. Denique, quemadmodum omnibus rebus appetitum spectantibus, voluptas aliqua est conjuncta, ita etiam conjuncta est summo Bono. Sed voluptas quædam omnibus rebus appetitum spectantibus est conjuncta, non ut finis extremus illarum rerum: sed ut quædam affectio, per quam appetitus excitetur ad res illas tanto avidius experendas.

Quemadmodum videmus in cibi & potus sumptione fieri, item in acquisitione honoris & scientiarum. Ergo etiam summo Bono hæc voluptas est conjuncta, ut ipsa virtus tanto ardentius à nobis expetatur; non ut animus simpliciter in illa voluptate acquiescat.

Ex iis igitur quæ dicta sunt, & hactenus disputata, summi Boni definitio, secundum Aristotelem, talis est; Summum Bonum est actio virtutis perfectissima in vita undique perfecta, qua animum hominis jucunditate maxima perfundit, & ipsum hominem summo honore dignum facit.

Virtus quæ hic perfectissima vocatur, duplex ab eodem statuitur, Contemplativa scilicet, & activa.

Con-

*Definitio
summi
boni, ex
sententia
Aristote-
lii.*

Contemplativa in mente vocatur
Sapientia.

Activa in voluntate vocatur Iustitia.

Quæ duæ virtutum species, quo per-
fectius in uno homine conspirant, eo is
felicior est & beatior; et si sæpe contin-
gat ut in uno sapientia, in altero justitia
magis emineat; qui nihilominus felices
censemur, et si imperfectius. Perfecta
vero felicitas ex utraque conjuncta de-
mum nascitur. De qua coniunctione
utriusq; virtutis Aristoteles multis agit
lib. 10. Ethicorum. Per *vitam vero per-*
fectam quid ab eo intelligatur, disputa-
ri solet; maxime autem probabilis est
illa sententia, qua, per *vitam perfectam*,
talis vita hominis intelligitur, quæ ju-
sto tempore perdurat, & toto cursu suo
vitiosis actionibus non maculatur.

Hæc sententia Aristotelis si secun-
dum mentem ejus sumatur, valde im-
perfecta est: si vero mens ejus corri-
gatur, & verba sumantur in eum sen-
tum quem ferre possunt, tum sententia
hæc cum veritate conciliari potest.

Nam homo in eum finem est creatus
à Deo, ut per actiones virtutum, tam
mentis quam voluntatis, ipsi esset con-
formis. Sed hic rursū defectus est, quod
extrema

Correctio
sententie
Aristote-
lis.

extrema hominis perfectio in hisce vir-
tutum actionibus statuatur, quum hæc
conformitas, quæ in hac vita postula-
tur, sit via tantum seu medium ad feli-
citatem futuram & æternam. Nec vero
virtus ita propter se expetenda est, ut
etiam non expetur propter aliud, &
quidem majus bonum; nempe ut per
eam Deus colatur, proximus juvetur,
& via sternatur ad felicitatem futuram.

*Senten-
tia Pla-
tonis, &
Christia-
na cum
ea consen-
sus, aut
dissensus.*

Plato vero hic altius ascendit, qui
summum Bonum confistere statuit in
visione seu fruitione Dei. Virtutes ve-
ro, quæ hic haberi possunt, sensit esse
media mentem nostram & volunta-
tem purgantia, ut tanto facilius & me-
lius Deus à nobis videri, & nobiscum
uniri possit.

Inter virtutes autem illas purgatri-
ces, præcipuam statuit religionem &
pietatem in Deum, quam Aristoteles
hic plane præterivit.

Hanc Dei visionem & fruitionem
appellavit Ideam, ut præstantissimi Pla-
tonici notant, quam mens nostra sem-
per contemplari debet, ut semper felix
esse possit. Ac proinde quæ hic ab Ari-
stotele contra Platonem disputantur de
Ideis, ac si Plato statueret felicitatem

con.

consistere in contemplatione formarum abstractarum , illa præter mentem Platonis ab eo dici videntur, quemadmodum Platonis libros legenti facile liquebit.

Hæc sententia Platonis optime congruit cum veritate Theologica. Nam facra scriptura testatur summum hominis Bonum consistere in Dei visione & fruitione; quam visionem Dei necessario antecedit vera mentis illustratio & voluntatis purgatio , quemadmodum Christus Matth. 5. loquitur, *Beati mundo corde, quia Deum ipsum videbunt.* Sed hic erravit Plato, quod veram causam; per quam mens, & voluntas nostra purgatur & præparatur , ignoraverit ; quia sola Christi per fidem apprehensi gratia, & efficax ejus ad mentem & voluntatem nostram per Spirit. S. applicatio, vera causa purgationis hujus est. Quemadmodū Petrus testatur Actor. 15. cum dicit *fide purgari corda nostra:* cuius gratiæ per Christum nobis paræ fructus & testimonia , sunt veræ & Christianæ virtutes, quarum multæ modum virtutum Ethicarum longe excedunt. Etsi & hoc fateamur, virtutes illas, seu, ut scriptura loquitur, bona opera,

ra , esse media per quæ nobis ad futu-
ram ac cœlestem felicitatem est ten-
dendum: quia licet non sint causa re-
gnandi , sunt tamen via Regni , ut Ber-
nardus pie & rotunde loquitur.

P A R S S E C V N D A .

*Quæ agit de Virtutis natura in
genere.*

AC T E N V S de prima hujus
scientiæ parte egimus , nem-
pe summo Bono , tanquam
omnium actionum huma-
narum fine. sequitur jam ut ad alteram
partem procedamus. in qua agendum
erit de virtutibus & vitiis ; quæ media
sunt & via ad summum illud Bonum
ducentia.

Id autem ut ordine fiat , 1. in genere
de natura virtutis erit agendum , dein-
de in specie de singulis virtutibus.

In genere ad naturam virtutis recte
intelligendam hæc sunt explicanda , 1.
quodnam sit subiectum cui virtus pri-
mario inhæret. 2. Quodnam sit obje-
ctum , circa quod præcipue versatur.
3. Quæ causæ ejus efficientes. 4. De-
nique ,

nique, quæ sit ejus natura ac definitio,
& in quo^t genera dividatur.

Subiectum virtutis omnes Philo- De sub-
phi agnoscunt esse animam hominis. jecto
Id autem ut accuratius intelligatur, virtutis,
eius facultates παχυλῶς καὶ τύπῳ nobis nempe
sunt cognoscendæ. Nam exacta earum anima
tractatio ad Physicam spectat. hominis,

Animæ humanæ facultates ab omni-
bus Philosophis statuuntur duæ; qua-
rum prima rationalis, Græce τὸ ιγεμο-
νικὸν seu λογικὸν appellatur; altera vero
irrationalis, seu τὸ ἄλογον & τὸ ψυχικόν.

Primæ facultati imperium; secundæ
obedientia convenit, in homine bene
constituto.

Rationalis facultatis duæ sunt par-
tes, intellectus scilicet, & voluntas.

Intellectus duplex est, Theoreticus,
& Practicus. Theoreticus appellatur,
qui res simpliciter ut veras compre-
hendit, sine ullo ad actionem futuram
respectu; Practicus, qui res compre-
hendit, prout humanis actionibus sub-
iectæ sunt.

Hic intellectus, cui reminiscētia sub-
servit, duobus modis res Ethicas com-
prehendit. 1. In genere, quatenus naturā
suā

suâ atque absolute sunt bonæ vel malæ; deinde in specie, quatenus intellectus res objectas cum suis circumstantiis, & comparate cum aliis, sibi bonas vel malas, ac proinde agendas vel omittendas opinatur.

Prior vis, quæ in genere de rebus Ethicis judicat, est integrior; & homo etiam naturalis de bonitate vel malitia multarum actionum in genere rectius judicat; & hæc vis proprie conscientia, græce οὐτίηνος appellatur.

Altera vis, quæ in specie de singularris actionibus judicat, & *judicium ultimum rationis practica* dicitur, est corruptior; quia ratio illa specialis affectibus suis seducta, sibi bonum & eligendum sæpe judicat, quod in se ac sua natura est malum, & malum esse judicatur. Quemadmodum illud Medeæ ostendit:

Sed trahit invitam nova vis, aliud que cupido.

Mens aliud suadet. video meliora, proboque;

Deteriora sequor.

Secunda pars rationalis facultatis est voluntas, quæ est appetitus animæ rationalis persequens aut fugiens, quod ratio

ratio illa particularis fugiendum aut
persequendum judicavit.

Hæc voluntas, Græce βέλησις, vel
respicit finem actionum, & proprie-
voluntas appellatur, vel respicit media
ad finem assequendum ducentia, &
vocatur arbitrium, Græce προεπιθετική,
id est, præelectio. Nam voluntas pro-
prie non deliberat de fine qua finis est,
sed deliberat de mediis per quæ finis
est assequendus; nempe, quænam ex
mediis congruentissime eligat, ut fi-
nem suum assequatur.

Facultas rationis expers homini
cum brutis est communis. quæ etiam
duplex est, facultas scilicet cogno-
scens, & facultas appetens.

Facultas cognoscens seu sensitiva,
est, vel sensuum externorum, vel in-
ternorum.

Externi sensus sunt quinque illi no-
ti, nempe visus, auditus, odoratus, gu-
stus & tactus; qui ideo externi vocantur,
quia illorum instrumenta extrin-
secus in corpore apparent, & objecta
sua extrinsecus recipiunt.

Sensus interni dicuntur, quorum se-
des est in ipso intimo cerebro, & quo-
rum objecta etiam intrinsecus occur-
runt.

runt. Suntque duplices, Memoria sci-
licet, & Phantasia.

Memoria est sensus rei præteritæ.

Phantasia, Latine imaginatio, est
sensus rei præsentis, quæ etiam sensus
communis appellatur, quia ab omni-
bus externis sensibus species abstrahit,
easque vel conjunctim vel separatim
intra seipsam speculatur. Etsi aliqui sen-
sum quoque communem vocent, ju-
dicium aliquod discretivum de rebus
singularibus, quod in imaginatione
fit, ex rebus per sensus receptis, quale
etiam in bestiis reperitur.

Vis appetens in hac animi sensitivi
facultate etiam duplex est, nempe τὸ
θυμικὸν, & τὸ ἐπιθυμητικόν.

Τὸ θυμικὸν Latine ira, vel vis irasci-
bilis, spectat ea quæ animo sunt gratio-
ra, qualis est vindicta, honor, victoria,
& similia.

Τὸ ἐπιθυμητικόν, Latine concupiscen-
tia, vel vis concupiscibilis, spectat ea,
quæ sensui & corpori gratiora sunt, in
primis gustui & tactui. Prior vis faci-
lius obtemperat rationi, quia rationi
est vicinior. Posterior vero difficilius;
ideoque Aristoteles non male notat,
quod ira sæpe pro ratione pugnet con-
tra concupiscentiam.

Hæc

Hæc est brevis delineatio omnium animæ humanæ facultatum, tam earum quæ subsunt, quam quæ imperant; ex quarum nonnullis inter se conjunctis oriuntur duæ faculatæ compositæ, nempe ingenium & indoles.

Ingenium proprie vocatur *promptitudo* vel *tarditas* facultatum cognoscen-
tium & intellectivarum. Nam felici
vel bono ingenio is dicitur præditus,
qui prompte intelligit, prompte recor-
datur, & prompte judicat: malo vel in-
felici contra, qui difficulter recordatur,
difficulter intelligit, & difficulter ju-
dicat.

Indoles vero proprie significat boni-
tatem vel pravitatem facultatum ap-
petentium. Nam bona indole prædi-
tus dicitur, qui sponte quadam naturæ
proclivis est ad illud quod honestum
est & decorum: mala vero indole dici-
tur is præditus, cui voluntas & appeti-
tus sensitivi magis ad malum feruntur.

Hæc tenus de virtutum subjecto egi-
mus: sequitur jam ut de earum objecto
magamus.

Objectum circa quod virtus Ethica
præcipue versatur, omnium Ethicorū
consensu, sunt affectus, seu animi per-
De objec-
to virtu-
tis, nempe
affectibus.

C turba-

turbationes, quas Græci *mœn* appellant. Nam in iis moderandis, & rectæ rationi subjiciendis, virtus præcipue occupatur.

Affectuum causas naturales inquirere proprie pertinet ad Physicum. Quibus vero rationibus in animis hominum excitentur, demonstrare, pertinet ad Rhetorem. Hic vero duo tantum quæ proprie Ethicam spectant, nobis tractanda sunt. 1. Affectuum fontes & species sunt enumerandæ. 2. Questiones nonnullæ movendæ sunt, de eorum pravitate aut bonitate.

Præcipua affectuum capita & quasi fontes, ex quibus reliqui omnes nascuntur, nonnulli statuunt voluptatem & dolorem; quia scilicet in omnibus affectibus, vel illorum alteruter, vel uterque reperitur; & quia ad dolorem vitandum, voluptatemque assequendam, homines fere vel male vel bene agunt, ut Aristoteles hic quoque notat: Alii vero censem hæc potius esse affectuum omnium adjuncta, quæ tamen sæpe etiam causæ rationem habent. Quemadmodum in zelotypia, voluptas & dolor conjuncta sunt, & gravissimum affectuum, ut iræ, odii, desperationis,

tionis, &c. causæ. In misericordia, dolor est conceptus ex aliena miseria, & studium alterum juvandi; qui dolor, causa deinde est desiderii alienæ miseriæ succurrendi.

Stoici omnes affectus simplices reducunt ad quatuor genera, quæ à Virg.^{Affe-}
hoc versic. comprehenduntur:<sup>ctuum
divisio.</sup>

*Hinc cupiunt, metuuntque, dolent,
gaudentque.*

nempe gaudium & dolorem, spem &
metum.

Hæc Stoicorum divisio ex ipsis affectuum objectis est sumpta. nam omnes affectus oriuntur, vel ex eo quod homo sibi bonum, vel ex eo quod sibi malum opinatur. Bonum vero aut Malum illud est duplex, vel præsens, vel futurum.

Ob bonum præsens (ad quod etiam reducitur recordatio præteriti) homo gaudet. Ob malum vero præsens, aut præteriti recordationem homo dolet. Rursus, bonum futurum homo sperat, malum vero futurum metuit. Nos ergo cum plerisque Ethicis, hanc quoque Stoicorum divisionem sequemur, & affectus omnes dividemus in primarios & secundarios.

Primarii sunt quatuor illi jam dicti.

C 2 Qui

Qui breviter sic definiri possunt.

Gaudiū seu voluptas, est delectabilis motus appetitus sensitivi, spiritus cordis excitans, propter bonum præsens vel præteritum. Dolor est tristis motus animi, spiritus cordis opprimens, propter malum præsens vel præteritum.

Spes est animi affectio, qua movetur appetitus ad bonum futurum expetendum, & patienter expectandum. Metus est animi affectio, qua homo de malo futuro sollicitus est, & propter ejus expectationem affligitur.

Hactenus primarii affectus, sequuntur jam secundarii ; qui rursum sunt duorum generum, aut leniores, qui Græce ἡγη appellantur, aut acriores, qui πάθη vocantur.

Leniores sunt, amor, ira, misericordia, verecundia, indignatio, &c.

Acriores sunt, odium, invidia, furor, excandescientia, desperatio, &c.

Quorum omnium definitiones, ex ipsa vocum notatione satis notæ esse possunt.

Generalis ergo omnium affectuum definitio hæc esse potest, quod sint *passiones seu motiones appetituum, spiritus cordis contrahentes, aut excitantes, propter*

pter objectum , quod nobis vel jucundum
vel molestum opinamur.

Restat jam , ut quæstiones nonnullæ
quæ ad Ethicam spectant , movean-
mus .

Et 1. quæritur an affectus sint in ap-
petitu sensitivo , an in voluntate ratio-
nali .

Respondeo , affectus eos esse in ap-
petitu sensitivo , quos homo commu-
nes habet cum bestiis . Sed quos homo
peculiares habet , qui respiciunt bonum
vel malum spirituale & æternum , illi
præcipuum sedem in appetitu sensitivo
habere non possunt , et si appetitum
sensitivum quoque afficiant ; sed in vo-
luntate rationali præcipue collocandi
sunt , atque ideo quoque in Angelis qui
appetitu sensitivo carent reperiuntur .
Quales sunt amor Dei & proximi ,
odium peccati , & Sathanæ , spes vitæ
æternæ , &c.

2. Quæritur an affectus sint opinio-
nes , an vero qualitates naturales .

Responsio . Stoici omnes affectus in
opinione consistere contenderunt : sed
illa opinio est falsa . Nam affectus sunt
in corde , opinio in cerebro ; deinde
gaudium est ex spirituum in corde ex-

C 3 cita-

citatione; dolor nascitur ex nervorum distractione, aut cordis contractione, quæ non est opinio; & rationes quas sequenti quæstione afferemus, quibus probabimus affectus toto suo genere non esse malos, simul quoque evincent in sola opinione illos non confistere; et si negari non possit, quin ex opinione sola sæpe nascantur. Prout enim res cognoscendi facultati oblatæ, bonæ vel malæ, sive revera sive falso, apprehenduntur, ita quoque affectus moventur.

3. Quæ-
stio.

Præcipua vero controversia agitata inter Stoicos & Peripateticos fuit, an affectus toto suo genere sint vitiosi, ac proinde ex homine virtute prædicto plane eradicandi. Hoc affirmabant Stoici; nos quidem fatemur cum Peripateticis, affectus sæpe modum excedere, & judicium mentis pervertere: tamen toto suo genere malos esse negamus, ac proinde componendos esse & moderandos, non eradicandos. Rationes pro hac sententia hæ sunt:

1. Quia quidam affectus ab omnibus hominibus judicantur boni, ut misericordia erga miseros, storgæ naturales inter parentes & liberos, &c.

2. Quia affectus possunt esse virtutum

tum instrumenta. Nam qui ex amore virtutis virtutem sectatur, & vitia fugit ex eorundem odio, majori studio id facit, quam sine illis affectibus.

3. Ipse primus homo cum affectibus creatus fuit. Ergo non sunt mali.

4. Deo affectus nonnulli ascribuntur, ut ira, misericordia, amor, &c. Ergo non sunt toto genere vitiosi.

5. Christus tristatus fuit ob mortem Lazari, Iohan. 11. lætatus fuit ob successum prædicationis Euangeli, Lucæ 10. misertus fuit turbæ cum inedia premeretur, Ioan. 6. Matth. 15. Ergo &c.

6. Denique, affectus multi nobis præcipiuntur à Deo, ut passim videre est, in primis Matth. 5.

Ex quibus argumentis invicte demonstratur, sententiam Stoicorum esse falsam.

Objectio. Quod rationem perversit, & hominem à virtute avertit, illud est sua natura malum. At hoc faciunt affectus, ut experientia docet. Ergo &c.

Respondeo ad majorem, fateri nos quidem in homine jam corrupto id frequenter fieri, semper tamen id fieri negamus. Nam qui benefacit parentibus ex amore parentum, aut virtutem se-

C 4 Etatur

ctatur ex amore virtutis, aut malum fugit ex odio mali, is rationem non pervertit sed perficit. Causa vero cur affectus s^ep^re rationem pervertant, duplex assertur, una a Philosophis, altera a Theologis.

Philosophi affectus in homine tribus modis considerant.

1. In eo, qui virtutis aut vitii habitum nondum contraxit.

2. In eo, qui jam habitus vitiorum contraxit.

3. Denique in eo, qui jam habitum virtutis contraxit.

Si species eum qui necdum alterum habitum induit, statuunt Philosophi affectus hic se habere media ratione, id est, necdum bonos vel malos: sed tamen ad utrumque flexiles, instar equi qui frentum nondum est passus. Quum ergo homo hic patitur affectus dominari rationi suae, culpam esse non in affectibus, sed in ratione; quae cum affectibus imperare debeat, se iis serviliter subjicit. Agnoscent tamen in ejusmodi homine affectus magis inclinare ad malum quam ad bonum, tum quia exempla vitiorum magis obvia sunt quam virtutum; tum quia Deus virtutem

rem in arduo locavit, ac proinde hostem ei proposuit expugnatū quidem difficultē, sed tamen expugnabilem, si homo quantum potest adnitatur.

Quod vero attinet illum hominem, qui jam habitum vitiorum contraxit, in eo affectus semper quidem perversunt rationem: sed illud fieri censem non tam affectuum vitio, quam rationis, quæ cum habitum malum induit, vel affectus secum ad malum dicit, vel affectuum vitiosorum ductui se mancipavit.

Denique quod attinet eum, qui virtutis habitum jam contraxit, in eo affectus omnes bonos esse statuunt, & rectæ rationi morigeros; quia jam assueverunt sponte & libenter rectæ rationi recte monenti ac præeundi parere.

Theologi vero huic objectioni plenius possunt satisfacere, quia veram causam corruptionis nativæ norunt. Ea autem est duplex. Prima consistit in affectibus: altera in ipsa ratione. Quod affectus attinet, illi rationi recte immorigeri facti sunt, quia ipsa ratio sese à Deo avertit. Pœna ergo hæc juste menti inflicta est, ut affectum rebellionem sentiat, quæ ipsa Deo rebellavit.

C 5 Alte-

Alteram causam diximus quærendam esse in ipsa ratione, quæ ea perfectione à Deo creata est, ut affectibus dominari possit. Iam vero, cum propter inobedientiam suam in multis cæca sit, atque imbecillior redditæ viribus quoq; idoneis destituta est ad affectus subigendos, quorum contumaciam experitur, & nonnunquam improbat, sed ab iis seducta sæpiissime sequitur. Illud autē vitium institutione recta in actionibus externis quidem non nihil emendari potest, in internis tamen & externis simul vere corrigi non potest, nisi à Dei spiritu mentem illuminante & affectus ipsos sanctificante.

*De causis
efficienti-
bus vir-
tutis.
Senten-
tia Medi-
corum.*

De virtutum causis efficientibus variæ olim disputatione Philosophi, Galenus, & Medici qui illum sequuntur, contendunt causam virtutis esse temperamentum corporis, argumento duco ab experientia. Bilioſi enim fere sunt iracundi & vehementes; Melancholici tristes & cogitabundi; Sanguinei hilares & ductiles; Pituitosi desides & ignavi.

Sed hæc sententia Medicorum, non est simpliciter vera. Nam et si fateamur temperamentum morbidum & vitisum,

sum , & tale quod instrumenta evertit, necessario secum trahere mores hominis ; cum videamus bilem in homine vehementer accensam agere eum in furorem , melancholiam nimiam in insaniam, pituitam supra modum redundantem in fatuitatem : tamen temperamentum naturale, quale in sanis corporibus reperitur, non necessario trahit secum mores hominum , et si eos ad has vel illas perturbationes inclinet; quod tamen vitium assuetudine & doctrina corrigi potest, si externos mores spectes , si vero internos & spirituales, per solius Spiritus sancti efficaciam emendatur. Nam primo experientia testatur multos esse sapientes , fortes & castos , quorum tamen temperamentum contrarium videtur indicare. Deinde temperamentum hominis fere est immutabile , mores vero sunt mutabiles. Denique temperamentum est à natura; at virtus non est à natura, ut infra probabitur.

Secunda sententia est Stoicorum qui virtutes dicebant animo inesse à natura, cumque iis homines nasci , vitia vero inesse præter naturam , cum scilicet homines à naturæ bonitate desciscunt,
vel

Sententia Stoicorum.

vel pravis exemplis seducti, vel prava
adsuetudine corrupti. Atque ideo con-
venienter naturæ vivere, iis perinde
erat ac secundum virtutem vivere; hanc
sententiam refutat Aristoteles sequen-
tibus argumentis.

1. Quidquid inest à natura, illud est
invariabile, nec ulla adsuetatione tolli
potest, quemadmodum si quis lapidem
millies sursum projiciat, nunquam af-
fueriet ut sursum tendat, quia contra-
rius motus ei à natura inest: at mores
hominum mutari possunt, ac virtute
prædictus potest fieri vitiosus, & contra.
Ergo virtus non inest à natura.

2. Quidquid à natura inest homini,
ejus potentia à primo ortu ei perfectè
inest, ut potentia audiendi, videndi,
gustandi, &c. ac deinde suas actiones
profert, non ex actionibus nascitur. At
virtutum potentiae à primo ortu non
sunt perfectæ: sed paulatim per opera-
tiones acquiruntur, atque in iis profi-
citur. Ergo, &c.

3. Denique si virtus esset à natura,
tum omnes aut saltem plerique essent
virtute prediti, quemadmodum omnes
aut plerique audiendi, & videndi po-
tentiam habent. At minima pars ho-
minum

minum est virtute prædita. Ergo, &c.

His causis igitur rejectis statuit Aristoteles, animum homini, primo sui ortu, esse instar tabulæ rasæ, seu, ut nos loquimur, instar chartæ puræ, cui quidem ipsa virtus non est impressa, sed sola aptitudo seu habilitas ad virtutem aut ad vitium. Fatetur tamen alibi quædam principia virtutum, quæ sunt quasi earum semina, hominum animis esse ingenita, quorum adjumento deinde virtus à suis causis excitetur & formetur. Causam vero adæquatam & veram virtutis statuit assuefactionem seu exercitationem. Comparari enim virtutis habitum per crebram virtutis actionem; quemadmodum faber fabricando fit faber, reliquæque artes comparari solent crebris exercitationibus, & scientiæ crebris demonstrationibus. Ejus rationes præcipuæ sunt hæ:

Prima, Quia Græce vox οὐ, id est, mos, derivatur ab οὐ, id est, consuetudo.

Secunda, Quia videmus multum interesse ad vitium aut virtutem, à quibus aliquis sit educatus, cum illi, qui à bonis & bene educati sunt, frequenter ad virtutem, qui verò à malis

&

*Sententia
Aristotelis
de virtu-
tum cau-
sis.*

& male, frequenter ad vitia se applicent.

Tertia, Quia legumlatores ut animos hominum ad virtutem adsuefacent, præmia & honores benefacientibus solent proponere , male vero facientibus pœnam & ignominiam, quo eosdem à vitiis avocent.

Quarta , Denique experientia affert , nempe homines fortiter & prudenter agendo, fortes & prudētes fieri.

Objēctio: Qui prudenter , fortiter, & juste agit , jam justus est. Ergo prudenter , fortiter & juste agendo non sumus justi.

Respondeo, negatur consequētia hujus enthymematis , quia actiones virtutum sunt duorum generum; quædam enim antecedunt habitum virtutis ; quædam eum sequuntur.

Quæ habitum virtutis antecedunt, sunt quidem per hominem : sed eas non producit homo tanquam illarum primaria causa, έπως, οργανός, καὶ μελανήτως, sciens, eligens, & immove : sed vel alieno suasu & imperio , vel imitatione, vel metu pœnæ, vel desiderio præmii aut laudis; quemadmodum videmus eos qui artes mechanicas discunt,

scunt, actiones artis exercere antequam fint artifices, per quas paulatim habitum ipsum acquirant. Actiones vero virtutum, quæ habitum sequuntur, non tantum fiunt per hominem: sed etiam ab ipso tanquam primaria earundem causa: idque secundum normam non alienam; sed quam apud animum suum jam ipse concepit. Ex priori illo actionum genere nascitur habitus. Ex posteriori manifestatur & confirmatur.

Differentia vero actionum virtutis habitum antecedentium & sequentium hæc fere est.

1. Primo quod actiones quæ virtutis habitum sequuntur, sunt perfectiores, & rationis rectæ præscripto magis conformes: quæ vero habitum virtutis antecedunt, sunt imperfectiores, & à virtutum perfecta norma nonnihil decidunt, qui defectus assuefactione continua paulatim corriguntur.

2. Secundo, Actiones virtutis habitum consequentes constanter fiunt, & sine vitiorum interruptione. Quæ vero habitum antecedunt, sunt incōstantiores, & vitiis nonnunquam interruptæ.

3. Tertio, Actiones quæ habitum virtutis antecedunt, difficulter & laboriosè fiunt.

*Discri-
men in-
ter A-
ctiones*

*virtutis
habitum
antece-
dentes
& conse-
quentes*

fiunt. Quæ vero sequuntur, facile & si-
ne labore.

4. Quarto, Denique actiones virtu-
tis habitum consequentes comitem ha-
bent animi voluptatem atque hilarita-
tem: Quæ vero antecedunt, sæpe mo-
lestiam & dolorem.

Discrimen hoc patet in exemplo ho-
minis temperantis & continentis, quo-
rum utriusque proprium est abstinere ab
illlicitis voluptatibus: sed cōtinens, quia
nondum virtutis habitum adeptus est,
cum molestia & labore id facit; tempe-
rans vero cum facilitate & hilaritate.

Idcirco etiam Aristoteles hic non
male moneret, ut illi qui virtutem non-
dum adepti sunt, & tamen ejus deside-
rio tenentur, se ipsos flectant & quasi
cogant, etiam cum molestia, in par-
tem vitio plane contrariam, & inpri-
mis eam quæ à voluptate omni longif-
sime distat, quia natura maxime ad
eam proclives sumus. Exempli gratia,
si quis vino aut gulæ sit deditus, & ta-
men virtutis contrarię desiderio tenea-
tur, ut mediocritatem & temperantiæ
habitum hic assequi possit, rebus gu-
lam oblectantibus ad tempus plane ab-
stineat; ita enim futurum est, ut tan-
dem

dem in mediocritate consistat; sicut arbor, quæ incurva est, in contrariam partem flecti solet, ut recta fiat.

Ex his differentiis & adjunctis actionum, virtutem antecedentium & consequentium, quivis poterit comprehendere, quantum in virtute profecerit, aut quantum ab ea adhuc absit. Nam proportione, qua adjuncta illa, virtutis habitum comitantia, in se comprehendit, eadem etiam proportione in se comprehendit virtutis profectum aut defectum. De qua re exstat insignis tractatus apud Plutarch. cuius titulus est, *De profectu suo in virtute cognoscendo.*

Hanc ergo veram & adæquatam virtutis causam Aristoteles statuit.

Quæritur hic vero, an eruditio & doctrina non sit quoque inter causas, virtutem efficientes, ponenda.

Multi existimant virtutem doceri non posse, quia etsi intellectus de vera virtutis forma possit instrui: tamen voluntas per instructionem illam ad virtutem non possit flecti. Cum experientia testetur, multos doctrina insignes, esse tamen homines vitiosos.

*An do-
ctrina sit
virtutis
causa.*

Hoc etsi plane negari non possit, tamen censendum est, id potius fieri per acci-

accidens, nempe cum doctrina incidit
in hominem perversæ naturæ. Alias,
si doctrina per se consideretur, inter
causas adjuvantes virtutis censenda est,
quæ quidem non necessario virtutem
ingenerat, sed tamen ad eam movet &
inclinat voluntatem hominis. Juxta il-
lud Ovidii;

— *Didicisse fideliter artes,*
Emollit mores, nec sinit esse feros.

Rationes autem quibus doctrina ho-
minem, doctum potius, quam indo-
ctum, ad virtutem stimulat, potissi-
mum hæ sunt:

Ratio 1. *Quia* per scientias animus
hominis adsuefit, ut suas cogitationes
avertat à rebus corporeis & affectuum
objectis, atque ita præciduntur occa-
siones, quibus homo ad vitia pellici-
solet.

2. *Quia*, qui rerum naturas & cau-
fas novit, res æstimare potest prout
sunt, ac proinde magna magnificere,
vilia vero contemnere; & quæ vulgi
opinione terribilia sunt aut admirabi-
lia, terrore & admiratione sæpe esse in-
digna novit.

3. *Quia* in cognitione rerum natura-
lium & supernaturalium multæ causæ
suppe-

suppeditantur, quibus homo ad virtutem accendi, & à vitio averti solet. Nā qui Dei naturam & excellentiam inteligit, desiderat ei esse similis; qui omnia quæ sub sole sunt propter hominem à Deo creata novit, is etiam accendetur ut benefactori suo gratus sit atque serviat. Sic, qui in brutis ipsis videt virtutum imagines, in quibusdam tempestantiæ, in aliis fortitudinis, & castitatis, in omnibus naturalem instinctum & industriam ad illa munia obeunda, quæ ipsi sunt propria, is facile adducetur, ut cogitet iniquum fore & hominis natura indignum, si ipse officio suo desit.

4. Denique doctrina præscribit formam veram virtutis, proponit exempla virorum laudatorum, item præmia ac gloriam, quæ eos est secuta; & contra, ignominiam & tristes exitus eorum, qui sceleribus se dediderunt; quibus rebus mens humana, nisi plane perversa sit, facile in amorem & admirationem virtutis rapitur, & à vitiis avertitur.

Hæc est ergo sententia Peripatetico-
rum. Causam videlicet principalem & na-
adæquatam virtutis, esse assuefactio-
nem; adjuvantem vero & inclinantem,
doctrinam, & naturæ seu indolis boni-
tatem. *Vera &
Christia-
tentia, de
causa
adæqua-
ta virtu-
tis.*

tatem. Quæ sententia aliquo pacto est
vera, cum Sapiens Proverb. 22. vers. 6.
dicat, *Instrue puerum proratione via
ipsius; etiam quum valde senuerit, non
recedet ab ea:* sed tamen imperfecta,
quia summam & præcipuam verarum
virtutum causam omittit, nempe gra-
tiam & auxilium Dei. De quo Aristot.
cap. 9. hæsitanter loquitur: quam ra-
men Plato, Pythagoras, & plerique Phi-
losophi veteres cōstanter agnoverunt.
nam illi omnes virtutem tam eximium
esse bonum agnoverunt, ut naturæ hu-
jus inferioris sortem superet, ac proin-
de divinitus nobis contingere debere
judicarint, ac proinde eam à Deo assi-
duo esse petendam. Plutarchus in libro
τελείωσις τοῦ θεοῦ, tum demum virtu-
tes perfectas in animis hominum oriri
fatetur, cum naturæ bonitas, affuetudo
recta, & divini numinis favor simul in
uno homine conspirant. Imo ipsi Poë-
tæ, ut virtutem divinitus contingere
indicent, passim heroibus divos vel di-
vas peculiares assignant, quibus à vitiis
avertantur, & ad virtutem civilem ac
bellicam excitentur.

Illa igitur tria si conjungantur, vera
& Christiana sententia sic formari po-
test.

test. Nempe quod virtutes quidem civiles & extrinseca forma laudabiles, in homine oriantur ex causis jam dictis: sed ut virtutes spirituales & Christianæ in animis hominum ingenerentur, oportet corruptam hominis naturam à Dei spiritu intrinsecus emendari, seu, ut Scriptura loquitur, purgari ac renovari, idque per gratiam nobis à Christo partam. Deinde per eandem gratiam oportet homines moveri ad fidei & charitatis actiones exercendas.

Incrementum vero harum virtutum etiam quidem est ab eadem gratia, ita tamen ut earum crebra exercitatio & mediorum, quæ eas excitant, usurpatio, necessaria sint instrumenta, per quæ Deus collatam gratiam nobis vult augere; quemadmodum Christus parabolam talentorum demonstrat, & dicto Iohan. 15. *Omnem palmitem in me fermentem fructus, Pater meus purgabit, ut plures fructus proferat.*

Explicatis causis externis virtutum, *De definitione & consequens est*, ut jam de earundem natura, ac forma agamus. *Quæ virtutis forma virtutis.* definitione continentur.

Virtus ab Aristotele definitur, *Habitus ἀρχαρικὸς seu electivus, in mediocri-*

diocritate positus, quo ad nos, & prout
vir prudens definiverit.

Habitum esse probat Aristoteles,
tum quia est qualitas animi crebro usū
acquisita, ut supra probatum est, tum
quia nulla est ex tribus reliquis specie-
bus qualitatis. Nam nō est potentia na-
turalis, cum supra probatum sit virtu-
tem non esse à natura. Nec est affectus
seu patibilis qualitas, quia affectus sēpe
sunt mali, virtus autem semper est bo-
na. Nec est figura, ut notum est, unde
relinquitur, quod sit habitus.

Vocat autem habitum *electivum*,
quia virtus non exercetur temere aut
fortuito: sed certo consilio & ex deli-
beratione. Quemadmodum infra la-
tius explicabitur, cum de virtutum
principiis agemus.

Forma virtutis, secundum Aristote-
lem, consistit in *mediocritate quoad nos*. Quod ut intelligatur, sciendum est;
Quemadmodum falsum est multiplex,
verum autem unicum & simplex; ita
etiam malum esse varium & multiplex,
bonum autem in media malorum tur-
ba unicum & simplex. Ut ergo bonum
illud in unoquoque genere inveniatur,
oportet id quæri & eligi ex magno ma-
lorum

lorum numero. & quemadmodum in circulo centrum unicum est in medio circuli, reliqua vero omnia puncta extra medium, centra non sunt, sed à centro recedunt; ita etiam secundum Aristotelem virtus est quærenda in medio vitiorum, vel potius, in medio affectuum, non in eorum extremitate.

Medium autem illud in quo virtus quærenda est, statuitur duplex. Arithmeticum, & Geometricum.

Arithmeticum vocatur, æqualitas excessum, ut inter tria & novem medius numerus est senarius.

Geometricum medium vocatur, æqualitas proportionum seu rationum nulla excessum habita ratione: ut numerus quaternarius est medius inter binarium & octonarium, quia sicut quaternarius est duplus ad binarium, ita octonarius est duplus ad quaternarium: etsi ratione excessum octonarius longius distet à quaternario quam quaternarius à binario.

Hic ergo quæritur, an virtus consistat in medio Arithmeticō an Geometrico; & recte respondet Aristoteles, virtutem non consistere proprie in medio Arithmeticō, sed in medio Geometrico;

trico; quia virtus non semper æqualiter recedit ab utroque extremo, sed sæpe sit, ut proprius accedat ad vitium quod in excessu est, quam ad vitium in defectu, & contra. Exempli gratia, fortitudo proprius accedit ad audaciam, quam ad meticulositatem; contra temperantia prior est abstinentiæ, quæ in defectu est, quam intemperantiæ, quæ est in excessu.

Atque hæc vicinitas major aut minor esse potest, prout occasiones & objecta singularia id exigunt.

Quæ circumstantiæ & occasiones singulares hoc versiculo cōprehenduntur;

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Quæ circumstantiæ diligenter expendendæ sunt, ut actio virtutis secundum rectam rationem, & medium illud proportionale dirigatur.

Sed quia rursum hic nova se manifestat difficultas, quo pacto, tum in affectionibus, tum in circumstantiis omnibus, medium illud Geometricū seu proportionale possit inveniri, ideo addidit Aristoteles in virtutis definitione, *prout vir prudens definiverit.* Quibus verbis notat, medium illud non esse querendum

dum in ipsa affectuum natura, nec etiam in vulgi judicio: sed illud metendum esse, ex recto sensu, & judicio viri prudentis. Quod judicium viri prudentis tribus modis haberi potest, vel ex consilio eorum prudentium qui inter nos vivunt; vel ex ipsorum scriptis & tractatibus de virtute; vel denique ex eorum exemplis. Hæc sententia Aristotelis, non nihil dicit de virtutis forma: sed tamen animo hominis virtutis veræ studiosi satisfacere non potest, propter sequentes causas.

1. Quia in actionibus singularibus, & subitaneis, nec consilium, nec exemplum viri prudentis semper haberi potest.

2. Quia ipsi illi prudentes, quos Aristoteles hic nominat, de ipsa virtutis forma sæpe inter se dissentunt. Sic Plato dissentit ab Aristotele, an vindicta privata sit licita, nec ne, Aristotele id statuente, Platone autem negante. Cato dissentit à Cicerone an se ipsum potius interficere, quam superesse casui Reip. sit actio fortitudinis, nec ne; Cato prius illud judicante, Cicerone negante.

3. Quia illi ipsi Prudentes & Sapientes, de quibus agit Aristoteles, rationis

D cæcita-

cæcitatem & naturæ corruptionem maxima ex parte ignoraverunt. Unde factum est, ut cæcæ rationis ductum sequi, sæpe vitium pro virtute, & virtutem pro vitio habuerint.

*Quæ sit
vera
virtutis
forma.*

Ut ergo animus hominis omni dubitatione liberetur, ex religione Christiana statuendum est, veram normam virtutis esse Dei legem, quæ in se continet perfectissimum omnium virtutum exemplar. Ergo vera & unica virtutis forma consistit in congruentia seu convenientia actionum & habituum cum Dei lege. Quemadmodum vitii forma consistit in discrepantia eorumdem à Dei lege.

Quia tamen Lex Dei in genere quidem præcepta virtutum præscribit, & ad actiones singulares non semper descendit, ideo ut circumstantiarum quoque ratio haberi possit, secundariae normæ actionum virtutis erunt exempla laudata hominum sanctorum, quorum vitam & res gestas sacra Scriptura nobis commendat. Exempla vero laudata quæ apud ethnicos occurrunt, aut præcepta quæ de virtutibus reliquerunt, à nobis non sunt plane rejicienda; modo cum præceptis & exemplis sacris non pugnant.

Post

Post naturam virtutis communiter explicatam, quæstiones nonnullæ mori solent, quæ virtutem in genere concernunt.

Quæstiones nonnullæ de virtute in genere.

Quarum quæstionum prima est, An omnis recessus à medio sit vitiosus.

Ad quam Aristoteles non male respondet, omnem quidem recessum à medio esse vitiosum: sed si is exiguis sit, eum ita à virtute absorberi, ut vel non appareat, vel omnem saltem actionis laudem non tollat.

Secunda Quæstio est Stoicorum, An omnes recessus à medio sit æqualiter vitiosus. Hoc paradoxon defenderunt Stoici contra omnes reliquos Philosophos, argumento non magni ponderis adducti; quia peccare sit transilire lineas justitiae; quicunq; ergo illas transiliat, sive parum, sive multum, à definitione virtutis æqualiter recedat. Exemplo utuntur hominis qui ex ripa in fluvium decidit. nam sive is prope ripam mergitur, sive in medio fluvio, eque tamen mergitur. Sed hæc sententia est nimis dura & paradoxa. quia licet omne vitium recedat à medio, tamen omne vitium non recedit æqualiter à medio. nam qui homini perperam maledicit,

D 2 rece-

recedit quidem à medio justitiæ: sed qui hominem necat, multo magis ab eo recedit; atque ideo etiam inæquales pœnæ ab omnibus Legumlatoribus adversus inæqualia peccata sunt constitutæ, & sacra Scriptura hic etiam manifesta est. Nec exemplum allatum ejusdem est generis: quia qui mergitur, ab aqua mergitur: quæ ubique ejusdem naturæ est: cum recessus à medio ubique ejusdem naturæ non sit, ut jam ostensum.

3. Quæstio.

Tertia Quæstio. Cum virtus in medio duorum vitiorum consistat: quæritur, an alterum extremum magis pugnet cum altero, an vero cum media virtute.

Respondeo. Si considerentur gradus affectuum, in quorum medio virtus consistit, extrema magis cum extremis sibi oppositis pugnant, quam cum mediis virtutibus. Sic plus iræ & furoris est in audacia, quam in fortitudine; atque hoc respectu timiditas magis pugnat cum audacia, quam cum fortitudine: sed si pugna consideretur absolute, & secundum qualitatem; vitium quodvis extremū magis pugnat cum media virtute, quam cum extre-

mo

mo sibi opposito; cū virtus sit in gene-
re boni, omni vitium in genere mali.

Quarta Quæstio. Quæri hic etiam 4. Quæ-
solet, an virtutes omnes necessario vin-
culo inter se connectantur, ita ut qui
unam vere habet, etiam necessario o-
mnes reliquas habeat, & qui omnes
non habet, nullam habeat.

*Quæstio. An
virtutes
omnes
necessario
conjun-
cta sint.*

Responsio. Hæc quæstio varie dis-
putata fui t, tum inter antiquos, tum
inter recentiores. Quidam, quos Sco-
tistæ sequuntur, virtutes nullo vinculo
necessario connecti asserunt, & unam
ab uno, aliam ab alio haberip posse. Ra-
tiones eorum hæ sunt.

1. Prima petitur à causa efficiente
virtutum. Potest enim fieri ut aliquis
assuefactus sit ad unam virtutem, forti-
tudinem aut temperantiam puta: qui
non sit assuefactus ad alias.

2. Secunda: Si virtutes inter se ne-
cessario conjungeréntur, una virtus ha-
beret ab altera suam formam, & essen-
tiā. At hoc est falsum; nam unaquæ-
que virtus habet suam essentiam à pro-
pria sua forma. Ergo, &c.

3. Experientia testatur, & exempla
in omnibus historiis, multos fuisse vi-
ros fortes, qui tamen fuerunt intempe-

D 3 rantes;

rantes; & contra, multos temperantes,
qui fuerunt timidi, multos prudentes
qui fuerunt injusti. Ergo, &c.

4. Si nulla virtus sit vera virtus, nisi
quæ coniuncta est cum reliquis omni-
bus virtutibus, tum nulla est vera virtus
in mundo, quia

*Vitiis nemo sine nascitur : optimus
ille est,*

Qui minimis urgetur.

Hæ rationes videntur habere ma-
gnum pondus ; contraria tamen sen-
tentia est verior & receptior. Nam nul-
la vera est justitia, quæ non sit coniun-
cta cum prudentia, & ita deinceps.

Rationes quæ hoc evincunt præci-
puæ hæ sunt.

Ratio 1. Nulli habitus contrarii pos-
sunt recipi in eodem subjecto simul &
eodem tempore. At omnis virtus est
habitus cuivis vitio contrarius. Ergo
non possunt simul esse in eadem vo-
luntate vel appetitu.

2. Vnus homo non potest simul esse
probus & improbus, bonus & malus.
At à quavis virtute vera homo vocatur
probus & bonus, & à quovis vitio ma-
lus & improbus. Ergo, &c.

3. Vnus & idem homo non potest
simul

simul esse felix & infelix. At omnis virtus vera reddit hominem felicem, omne vitium reddit hominem infelicem.

Ergo &c.

4. In singularum virtutum habitu requiritur, ut actiones suas constanter & sine impedimento interno producat. At hoc fieri non posset, si virtus conjuncta esset cum vitiis. Nam timiditas impedit actiones justitiae, ebrietas prudenter, avaritia fortitudinis, &c. Ergo virtus vera non possunt conjungi cum virtutibus.

5. Denique verbum Dei omnes virtutes manifesto simul requirit, ut sint verae virtutes. Nam qui amat Deum (inquit Ioh. i. epist. 3.) non potest odire proximum suum; & qui dicit se habere fidem, & opera charitatis non edit, is mendax est, inquit Iacobus, cap. 2.

Hæ rationes firmæ sunt & irrefutabiles. Quia tamen argumenta supra posita non sunt parvi momenti, ideo distinctionibus aliquot est opus, ut veritas recte cognosci & defendi possit.

Nam virtutes aliæ perfectæ sunt, aliæ imperfectæ. Aliæ sunt virtutes vere, aliæ tantum specie tenus. Aliæ sunt magis conspicuæ, aliæ sunt minus conspicuæ.

D 4 Agno-

Agnoscimus ergo in quibusdam extare quasdam virtutes una cum vitiis: sed illæ potius sunt virtutum simulacra, quam veræ virtutes. Quemadmodum in Alexandro magno fortitudo, vera fortitudo non fuit: sed potius animi quædam ferocia, & gloriæ immodica appetitio. Sic in Catone non fuit vera constantia: sed animi quædam pertinacia.

Agnoscimus etiam in hac mortali vita non reperiri virtutes omni gradu perfectas; ac proinde fieri posse, ut nonnunquam actiones aliquæ interveniant, quæ vitiis nonnihil sunt contaminatæ, propter imperfectionem habituum: contrarios tamen habitus in uno homine esse posse negamus.

Deniq; etiam agnoscimus fieri posse, ut una virtus in uno homine magis conspicua sit, quam alia; vel quia ad unā magis se exercuit, quam ad aliam; vel quia aptiora instrumenta corporis aut fortunæ, ad unam quam ad aliam est adeptus; vel quia munus & tempus, in quo vivit, occasiones illustriores affordet ad unam potius, quam ad aliam exercendam. Hinc tamen non sequitur reliquas virtutes in eo non esse, et si obscu-

obscarius insint. Et per has distinctio-
nes satis responderi potest argumentis
Scoti antea allatis.

Vltima quæstio, quæ de virtute in
genere hic movetur, est, utrum virtus
recipiat magis & minus, id est, an in-
tentior fieri possit, aut remissior.

5. Quæ-
stio. An
virtus
recipiat
magis &
minus.

Stoici, quemadmodum omnia pec-
cata paria esse contendebant, ita etiam
virtutem in medio individuo sitam esse
volebant, à quo si vel minimum rece-
deretur, omnis actio fieret vitiosa; ac
proinde nihil justius esse justo, nihil
prudentius prudente, nihil sapientius
sapiente. Imo eo usque arrogantiæ de-
venerunt, ut dicerent inter virtutes Dei
& hominis nihil interesse, nisi quod eæ
in Deo essent à natura, in homine vero
per industriam comparatae. Sed hæc
sententia absurda est & blasphema.

Ratio 1. Quia experientia testatur
in una & eadem virtute unum homi-
nem magis profecisse, quam alterum;
immo unum & eundem hominem
quotidie in eadem virtute proficere.

2. Deinde, omni qualitati est com-
mune quod recipiat magis & minus.
virtus autem est qualitas.

3. Denique, quia virtus in hac vita

D 5 imper-

imperfectior est quam in futura , ut
Paulus testatur i. ad Corinth. 13.

Objectio : Si virtus recipit magis &
minus, sequitur id fieri, quia cum suo
contrario miscetur. At absurdum est
virtutem misceri cum vitio. Ergo, &c.

Resp. 1. Negamus minorem. nam
nulla virtus in hac vita ita pura est , ut
non aliquid vitii illi adhæreat , idque
vel plus vel minus, prout aliquis in vir-
tute plus vel minus profecit : vocatur
ea tamen virtus, non vitium, à qualita-
te dominante; & qui paululum à recto
exorbitat , non ideo vitiosus dicendus
est. Quemadmodum , exempli gratia,
aqua calida licet minus caleat, quam
fervida , propter imperfectam frigoris
expulsionem , tamen non frigida , sed
calida est appellanda , quia calor in ea
supra frigus dominatur.

2. Negatur etiam consequentia ma-
joris , quia forma virtutis non est con-
stituta in puncto individuo : sed ha-
bet aliquam latitudinem , in qua lati-
tudine remissior vel intentior esse po-
test, quemadmodum sanitas in corpo-
re. Sic virtus in Adamo ante lapsum fuit
vera virtus , & sine vitiorum commix-
tione, & tamen minus intensa fuit quam
beato-

beatorum Angelorum , aut quam ejusdem Adami virtus nunc est in cœlo.

In definitione virtutis , una ex præcipuis conditionibus fuit, quod *habitus ejus sit iugurphicus seu electivus*, id est, ex libero consilio & electione operans, non coacte , nec ex necessitate extrinsecus illata ; nam virtus coacta virtutis nomen amittit.

Hoc ut recte intelligatur , Aristoteles præmittit tractationem de spontaneo & invito. Quæ breviter nobis etiam est examinanda.

Invite agere dicitur is , qui contra *Despotus* inclinationem suam ad aliquid agendum movetur.

Illud spontaneum & invitum, Græce *in se* & *an se* duplex est. Nam , vel sequitur naturam rerum sine ullo sensu aut cognitione ejus, quod fit; vel sequitur sensum & cognitionem.

Primo modo sponte agunt, vel invite, res brutæ & sensu carentes : ut lapis sponte cadit deorsum , coacte fertur sursum , planta sponte sibi nutrimentum attrahit, coacte ex terra eradicator & marcessit.

Spontaneum & invitum quod sensum & cognitionem aliquam sequitur, sursum

rursum est duplex: velenim tantum sequitur sensum externum & internum cum sola cognitione boni particularis; vel sequitur rationem & consilium cum cognitione boni universalis. Priori modo sponte bos sequitur pabulum suum, invitus ad mactationem ducitur. Avis sponte volat per aërem, invita caveæ includitur. Et hoc spontaneum propriæ instinctus appellatur.

Spontaneum vero & invitum, quod rationem sequitur & consilium, idque cum apprehensione aliqua boni universalis, sunt actiones, quæ ab homine, quatenus est homo, proficiuntur, ideoque de eo proprie nobis sermo deinceps est habendus.

Homo igitur invite dicitur agere duobus modis, vel per coactionem, vel per inscitiam. Quæ duo si recte intelligentur, eadem opera etiam intelliguntur, quomodo sponte & libere agantur.

*De invito
quod per
coactio-
nem fit.*

A'νθ'τον seu invitum quod per coactionē fit, definitur ab Aristotele principio lib. 3. Ethicorum, id, cuius principium, seu causa extra rem est, ita ut illud quod agit vel patitur, nihil ad agendum vel patiendum conferat. Ergo ut aliquid invitum dicatur, duo requiruntur.

I. Ut.

1. Ut causa actionis vel passionis sit extra rem quæ agit vel patitur.

2. Deinde, ut res quæ agit vel patitur nullam inclinationem ad actionem vel passionem illam habeat. Nam exempli gratia, si lapis ex turri deorsum projiciatur, causa quidem hujus iactus est extra rem, quia tamen lapis sua sponte ad casum illum inclinat, ideo hic casus non est proprie coactus; sed si navis aliqua vi tempestatis coacta contra voluntatem Vectorum in scopulos agatur, ejusmodi est invita.

Illud invitum seu involuntarium rursum duplex est: vel merū, vel mixtum.

Mere involuntarium est, cuius principium seu causa est mera vis, & proprie violentum appellatur: quemadmodum homo contra voluntatem suam ad supplicium rapitur. Hoc violentum voluntati inferri non potest. Nam et si homo cogi possit ut patiatur quæ nō vult: tamen cogi non potest, ut velit aut probet quod non vult; ideo voluntas ab hoc violento est plane libera.

Alterum involuntarium, mixtum dicatur, in quo scilicet partim vis, partim voluntas locum habet. Quod fit cum homo ad aliquid faciendum vel omitendum

tendum movetur, spe majoris boni, vel metu majoris mali. Sic mercator cogi potest, ut jacturam faciat suorum bonorum, ne naufragium subire cogatur. Sic homo cogitur ad latronem vim inferentem occidendum, ne ipse ab eo occidatur.

Hæ actiones dicuntur invitæ si causam extrinsecus moventem spectes; Sin vero causam proximam & internam spectes, plus habent voluntarii quam involuntarii; quia nisi voluntas consentiat ad hæc facienda, membra corporis illud nunquam exequentur; ac proinde ejusmodi actiones non carent omni laude si bonæ sint, nec omni vitio si malæ; atque ideo rerum circumstantiæ diligenter hic sunt expendendæ.

i. Quæ-
stio.

Hic movetur valde elegans Quæstio, nempe quatenus agere liceat metu majoris mali, vel spe majoris boni.

Et recte hic respondetur per distinctionem boni & mali. Malum enim est duplex (quemadmodum & illi oppositum bonum) nempe malum turpe, & malum triste.

Malum triste vocatur, quod dolorem infert, & à Theologis appellatur malum pœnæ.

Malum.

Malum turpe vocatur peccatum seu
vitium, & à Theologis appellatur ma-
lum culpæ.

Inter hæc malorum genera triplex
institui potest comparatio ; vel malo-
rum tristium inter se; vel malorum tur-
pium inter se ; vel denique malorum
tristium cum malis turpibus.

Si mala tristia inter se conferan-
tur, & ex duobus aut pluribus unum
proponatur eligendum , semper licet
minus malum præponere majori. Et
hic proprie locum habet dictum com-
mune , *inter duo mala minus est eli-
gendum.* Quemadmodum liquet in
exemplo supra posito, mercatoris, cui
jaœtura bonorum , vel vitæ facienda
est.

Sin mala turpia inter se conferantur,
nullum eorum sub electionem cadit, ac
proinde voluntas omnia debet respue-
re, nullum ex iis sequendum sibi pro-
ponere; & si contrarium fiat, voluntas
hominis non potest esse sine vitio. E. G.
vel prodendus tibi est amicus, vel men-
tiendum. Vulgo mendacium solent
præponere : sed vitiose , quia neutrum
est faciendum. solet tamen inter ho-
mines aliqua venia & misericordia exi-
guum.

guum delictum sequi, per quod imma-
nis aliqua pœna evitatur.

Tertia comparatio potest institui
inter malum triste & malum turpe. Si
utrumque vitari non possit, viro bono
eligendum est malum triste, ut vitetur
malum turpe. E. G. Regulo fides fuit
fallenda, vel redeundum ad parata sup-
plicia Carthaginem. Recte fecit quod
præposuerit, etiam durissima supplicia,
perfidiae, quæ ei fuisset committenda.
Nam nulla tormenta tanta sunt, quæ
voluntatem hominis cogere possunt
aut debent, ad peccata vel scelera com-
mittenda.

2. Quæ-
stio.

Quæritur hic etiam an ea quæ ho-
mo facit voluptate seductus, possint
dici involuntaria: cum voluptas videa-
tur hominem potentius trahere, quam
vis extrinsecus illata. Sed recte hic re-
spondet Aristoteles, hæc invita dicen-
da non esse, sed voluntaria; quia vo-
luntas est affectuum domina, non ser-
va; & si voluntas rationalis se affectibus
aut voluptatibus mancipet, tum præter
officium facit, ut quæ se sponte sua ex
domina servam facit.

De in-
vito quod
per igno-
rantiam
fit.

Hactenus prima species involuntarii
est explicata, nempe quæ per vim aut
coa-

coactionem sit: restat ut altera explicetur, quæ oritur ex inscitia, seu ignorantia.

Hoc ut recte intelligatur, ignorantia est distinguenda. Alia est enim ignorantia juris universalis. Alia est ignorantia facti, aut circumstantiarum ejus.

Ignorantia juris universalis seu communis non reddit hominum actiones involuntarias, quia omnes homines tenentur scire, quid juris communis sit, & possunt scire, si diligentiam debitam adhibuerint; ideo hæc ignorantia vocatur lata culpa, item ignorantia affectata; atque hæc species ignorantiae vi- tium actionis non excusat. Exempli gratia, si quis hominem occidat ut in- juriā sibi illatam ulciscatur; aut aliena rapiat, ut vitam suam sustentet: hic non solet excusari à pœna, et si causetur se opinari rem illam non fuisse illicitam. Sic si civis in civitate peccet ad- versus jura municipalia, idq; per igno- rantiam eorum, is excusari non solet, quia ea scire debuit & potuit.

Secunda species ignorantiae vocatur ignorantia τεκνας ἐργαστæ, id est, facti, aut potius circumstantiarum facti, quando scilicet facti species ignoratur, vel facti

cir-

circumstantiæ. Ut si quis in prœlio existimet se ferire hostem , & interim occidat fratrem suum , in contraria parte militantem. Hæc actio invita est, quia ex mera ignorantia profecta: ideoque excusationē inter homines mereri sollet, divina lege hic etiam dispensante.

Ut vero ignorantia hæc justam excusationem habeat, duo requiruntur.
1. Ut ignorantia hæc non sit affectata, aut ex negligentia contracta. 2. Requiritur, ut pœnitentia sequatur tale factum. Nam si pœnitentia factum tale non sequatur, facti vitium non erit mere involuntarium; quia et si voluntas hoc factum non antecesserit, tamen postquam commissum fuit, voluntas id comitatur. Exempli gratia si quis post sepem, ubi homines ambulare non solent, existimet se videre feram, eamque jaculo transfigat, interim tamen forte ibi agentem hominem occidat; hoc factum ex ignorantia contigisse, & involuntarium esse recte dicitur, si auctorem cædis statim facti pœnitentia: sed si auctor facti mox superveniens animadvertat se occidisse inimicum suum & ejus morti illætetur, factum illud non est mere involuntarium, quia fit voluntate.

voluntarium per voluntatem comitan-
tem.

Quæritur hic ab Aristotele an ea quæ
fiunt per iram & ebrietatem, ex igno-^{1. Quæ-}
rantia fieri recte dici possint; quum in
ira. atque ebrietate mens hominis ita
obnubilari soleat, ut quid agat nesciat,
& quum ejusmodi facta, pœnitentia fe-
re sequatur. Aristoteles hic per distin-
ctionem respondet; aliud, inquit, est
agere per inscitiam, aliud agere inscien-
tem. Ebrius vel iratus insciens quidem
agit, sed non per inscitiam: differentia
utriusque hæc est:

Quod per inscitiam dicitur agere is,
qui ab ignorantia sua, tanquam causa
impellente, ad agendum movetur. In-
sciens vero dicitur agere is, qui quidem
dum agit, ignorat quid agat, ita tamen
ut causa actionis aliunde oriatur. Hinc
liquet hominem ebrium vel summe
iratum, non agere invitum, quia prin-
cipium ebrietatis atque iræ, cui igno-
rantia comes est, quemadmodum et-
iam iræ & ebrietatis incrementum, fuit
in hominis potestate.

Ignorantia ergo quæ iram & ebrie-
tatem sequitur, est adscititia & evita-
bilis.

Du-

Dubitatio hic tamen oritur , an illa
quæ per iram & ebrietatem fiant, non
mereantur aliquam excusationem.

Respondetur, si privatæ injuriæ spe-
ctentur, homines libentius solent igno-
scere iis , qui per iram aut ebrietatem
injuriam intulerunt, quam iis qui illam
intulerunt sobrii , & animi sui compo-
tes : quia facilius persuadetur, injuriam
illam non proficisci ex odio destinato
in eum, cui injuria est illata; tum etiam,
quia major dolor & pœnitentia illo-
rum facta sequitur. Sin vero publicæ
considerentur offensæ, sentit Aristote-
les ex sententia Pittaci legislatoris,
eiusmodi homines duplicem pœnam
mereri ; quia Remp. dupli damno af-
ficiunt. Nam per ebrietatem aut ani-
mi sui impotentiam , aliis sunt malo
exemplo, & simul peccat aduersus alias
leges quibus Reip. pax conservatur.

Plato tamen hic paulo mitior est,
existimatque pœnas publicas in ejus-
modi delictis mitigari posse , modo
non orientur ex habitu ebriositatis aut
iracundiæ. Causas sententiæ suæ has
reddit.

Prima, quia illi, qui ex ira & ebrie-
tate in leges peccant , non ita sunt ob-
stinati

stinati in malo, atque illi qui id faciunt
animo sobrio & deliberato.

Secunda, quia major dolor & pœnitentia illorum facta sequitur, ac proinde major spes emendationis in futurum de iis concipi potest.

Hæc de spontaneo & invito in Ethica utiliter præcipiuntur, quia actionum humanarum conditionem multum variant. restat jam ut de illis principiis humanæ mentis agamus, in quibus spontaneum & invitum sedem habet, & quæ actiones ipsas ad habitus formandos producunt, aut ex habitibus jam formatis foras educunt. Ipsi enim habitus sicuti in hisce principiis quoque sunt, ita ab hisce principiis ad actus excitentur nécessse est.

Hæc principia sunt, intellectus, voluntas, consultatio, & *εὐαιρεσίς* seu elec^{tio}. Intellectus enim rem agendam vel omittendam primo intelligit: voluntas deinde eam appetit ut bonam, aut aversatur ut malam: vis consultatrix postea deliberat de mediis, per quæ bonum acquiri, malum vero vitari possit: ac denique facultas *εὐαιρετὴν* ex variis propositis mediis eligit illud, per quod bonum propositum commodif-

sim.

*De prin-
cipiis pro-
ximis hu-
manarū
actionū,
volunta-
te, con-
sultatione
atque ele-
ctione.*

sime acquiratur, malum vero quam
commodissime vitetur.

De horum principiorum objectis
hic nonnulla quæruntur, quæ breviter
à nobis absolvenda sunt.

*De intellectus ob-
jecto.*

Quin intellectus objectum sit veri-
tas, nemo ambigit. veritatem autem
hic non speculativam, sed practicam
intelligimus, quæ boni ac mali notio-
nem in se quoque comprehendit; nam
utrum res bona an mala sit, non tan-
tum in genere sed etiam sibi, ac proin-
de & agenda aut omittenda judicat in-
tellectus, non autē voluntas hominis.

*De vo-
luntatis
objecto.*

Voluntas vero malum ut malum ap-
petere non potest, quia id cum ipsius
natura pugnat. bonum enim appetit,
& malum aversatur. sed bonum illud
ut & malum duplex est, nempe vel ve-
rum, vel apparens. Hinc fit ut sub spe-
cie boni saepe malum appetar, & bo-
num sub specie mali nonnunquam a-
versetur.

Objectio. At videmus tamen homi-
nes sceleratos in malum quod malum
esse agnoscant ruere, & contra, bonum
quod bonum esse agnoscant aversari,
quemadmodum illa Medeæ sententia
demonstrat, Video meliora, proboque;
dete-

deteriora sequor. Respons. Verum quidem est eos non unquam appetere mala, quae in genere mala & inhonesta esse norunt, sed illi ipsi illud malum, quod appetunt, sibi bonum jucundum, aut utile judicant, sive ad explendam vindictam, sive voluptatem, sive aver-sandum dolorem, molestiam, &c. Hinc sit ut obscurata notitia generali, ultimum judicium rationis practicæ ab affectibus seducatur, & voluntati id tan-quam majus bonum proponat, quod in se tamen mali rationem habet. Quare recte judicat hic Aristoteles, bonum esse commune objectum voluntatis bonaæ, & malæ: sed hanc esse differen-tiam, quod voluntas bona cum recto judicio rationis rectæ, voluntas autem mala, cum pravo judicio rationis, ab affectibus seducta, conspiret; sicut gu-stus corruptus cibos pravos, bonos; & contra bonos, pravos & ingratos ju-dicat.

Voluntatis ergo objectum proprium est bonum; non quodvis tamen bonum, sed illud tantum quod habet ra-tionem finis ad quenq; media dirigenda sunt: media vero ipsa sunt objectum consultationis & *αγαγέτως* sive elec-tionis.

ctionis. Nam, qui finem aliquem jam vult, de mediis consultat, & ex mediis variis unum aut plura eligit; atque ideo consultatio & electio circa eadem subjecta versatur; ita tamen ut consultatio præcedat, electio sequatur.

1. Objectio. At fines non minus quam media sub deliberationem & electionem cadunt. Ergo non tantum media. Resp. Id verum esse de finibus subordinatis, non de extremis: subordinati autem fines aliquando medium rationem habent. Sicuti Hercules non deliberavit utrum felix esse veller nec ne, sed an per viam virtutis, an vero voluptatis ad felicitatem esset ipsi contendendum: sic Dux exercitus non deliberat, utrum victoriam velit nec ne, sed qua ratione & via eam consequi possit.

2. Objectio. At non videtur in omnibus actionibus virtutis deliberatione esse opus. Respondeo. Quædam sunt, de quibus non deliberatur nisi à stolidis. Ut 1. de necessariis & immutabilibus. 2. De iis quæ nostri respectu eveniunt casu aut fortuna. 3. De rebus leviculis & nugis. 4. Denique de omnibus quæ non sunt in nostra potestate.

Deli-

Deliberatio ergo est earum tantum actionum, quæ ad fines, qui à nobis acquiri possunt, referuntur.

Est autem hæc deliberatio duplex: vel plena & perfecta; qua utimur in rebus gravioribus & difficilioribus, adhibitis nonnunquam etiam in consilium aliis: aut imperfecta; qua utimur in subitis aut levioribus, & factu promptis. Nam etsi deliberatio in iis ita non appareat, est tamen semper aliqua, nisi quis temere agat, quod virtutis non est.

Ex his quæ à nobis hactenus disputata sunt, oritur nobilis controversia ab Aristotele atque aliis Ethicis jam olim agitata, & inter Theologos non minus controversa, an hæc principia libere agant & à se ipsis determinentur, an vero necessario. Nos exclusis disputationibus prolixioribus Theologicis, quantum Ethici hæc cognoscere interest, breviter indicabimus, veramque ac Christianam sententiam proponemus.

Libertatis vox homonyma est, ac varie usurpari solet. *Primo* enim liberum dicitur quodvis spontaneum; quæ libertas brutis quoque competit. Nam bos libere quærerit pabulum suum, aves libere vagantur per aërem. *Secundo* li-

E beri

*De li-
bertate
arbitrii.*

93 DE NATVRA

beri appellantur quivis actus voluntatis, qui à ratione diriguntur. Sic Angeli in cœlo libere & tamen semper bene operantur ; voluntas hominis libere vult ultimum finem & beatitudinem suam. *Tertio* liberum sumitur pro eo quod nemini subest, aut à nemine pendet. Hoc modo solus Deus liber est seu *autonomus*, & absolutus suarum actionum Dominus. *Quarto* vox libertatis sumitur pro potestate rem propositam admittendi vel recusandi, sequendi vel fugiendi.

Hæc postrema libertas duplex statuitur, nempe specificationis, & exercitii. *Specificationis* vocatur à Scholasticis, potestas ex diversis propositis rebus unā consultatione prævia eligendi, alias prætereundi aut recusandi. *Exercitii* vero vocatur, potestas rem unam propositam eligendi vel rejiciendi ; ab aliis vocatur libertas contrarietatis, & contradictionis. Et de hoc postremo libertatis genere nobis proprie agendū est.

Non disputamus autem hic anxie unde sit ut homo potius quam reliqua animantia hac libertate sit præditus, quia Deo authori naturæ placuit hominem his dotibus præ cæteris ornare; interim

terim tamen nec causa proxima, quæ
à nonnullis assertur, contemnenda est.
Nempe id ideo fieri, quia mens huma-
na non est corporea, nec à corpore ne-
cessario dependet, sicut reliquarum
animantium formæ; quum ergo soluta
sit & libera à corporeis nexibus, etsi
corpori sit conjuncta, hinc est, quod
corpori & ejus affectibus dominari pos-
sit, nisi se in ejus voluntariam servitu-
tem addixerit.

Non disputamus hic etiam fusius, in
quanam facultate hujus libertatis pro-
pria sedes sit, in intellectu scilicet an in
voluntate: quum in utramque partem
argumenta non exigui momenti sint.
Interim tamē recepta ac vulgatior sen-
tentia, & S. Scripturæ loquendi modis
convenientior est, propriam ejus sedem
esse in voluntate, cui hæc facultas insita
à Deo est, ut se in utramque partem fle-
ctere possit: etsi & hoc certum sit, vo-
luntatem in se esse cæcam, ac proinde
sine intellectus indicio ac judicio nihil
eligere aut respuere posse; cuius intel-
lectus indifferentia (circa diversa enim
media se extendit) causa quoque est,
cur voluntas actus suos variare possit.
atque illud est, quod in scholis dicunt,

E 2 liber-

libertatem esse in intellectu radicaliter,
in voluntate autem formaliter.

Tota vero difficultas, quæ hic diligenter est expendenda in hoc versatur, quoisque se extendat ea libertas, quæ se in hisce principiis seu facultatibus animæ manifestat. Ut autem hæc difficultas plene tollatur, duobus modis hæc quæstio intelligenda est; primo, respectu Dei & ejus providentia, quæ supra voluntatem est; secundo, respectu objectorum, circa quæ voluntas versatur.

*Quomodo
volunta-
tis liber-
tas conve-
niat cum
Dei pro-
videntia.*

De primo quæritur, an voluntas ita sit libera, & suarum actionum Domina, ut Dei voluntati & gubernationi in omnibus actibus suis non subsit.

De hac quæstione in diversas plane sententias Philosophi antiqui iverunt. Nam Epicurei, et si Divinitatē aliquam verbo agnoscerent, ejus tamen providentiam negabant, atque omnia temere ac casu fieri contendebant; ac proinde voluntatem hominis divinæ gubernationi subesse negabant: quemadmodum Horatius ex Lucretio hanc eorum sententiam his verbis effert; *Namque deos didici securum agere avum.* Sed illi, ab omnibus reliquis Philosophis reje-

rejecti sunt. Imo & Cicero de iis recte
judicat, cum verbo Deos faterentur,
reipsa tamen eos sustulisse; quia Deus
sine cura & providentia intelligi non
potest.

Platonici & Aristotelici saniores, a-
gnoscabant quidem Deum omnia re-
gere & providentia sua universa in sua
natura continere, ab illo tamen regi-
mine eximebant actiones singulares
humanæ voluntatis, quas ἡ Φύσις, id
est, in nostra tantum potestate esse con-
tendebant.

Stoici contra universa & singula re-
cte quidem divinæ gubernationi subji-
ciebant, sed rursum in alterum extre-
num peccabant; quia discrimen cau-
sarum necessario & contingenter a-
gentium tollebant, & omnia ine vita-
bili fato, & causarum naturali nexu
contingere asserebant.

Philosophorum ergo sententiis mis-
sis, vera & Christiana sententia hæc est:
quod omnes actiones humanæ, tam bo-
næ quam malæ, tam universæ quam
singulæ, divinæ providentiaz & guber-
nationi subjiciantur, & ab eadem re-
gantur, secundum decretum ejus æter-
num, & scientiam infallibilem. Nam

E 3 præ-

*Christiana
na sen-
tentia de
Dei pro-
videntia.*

præter Scripturam, quæ id multis in locis perspicue testatur, ratio id ipsum quoque necessario evincit. Sequeretur enim illa, quæ secundum Dei decretum non fierent, existentiam habere extra Deum, ipso vel ignorantे, vel negligente, vel invito: quorum nullum Deo sine blasphemia adscribi potest. Fiunt ergo omnia ipso sciente, volente & regente; voluntate scilicet & rectione, qua bona facit & promovet, mala vero juste permittit, & in fines à se præstitutos ordinat.

1. Objectio. At si hæc ita se habeant, quomodo homo liber est in actionibus suis, aut quomodo laudem meretur in bono, & pœnam in malo?

Respondeo. Hæc difficultas tanta est, ut quidam, quia hæc inter se conciliare non possunt, vel cum Peripateticis Dei gubernationem in actionibus singularris negent, vel cum Stoicis omnia fato fieri asserant. Sed et si hæc difficultas tolli non posset, non ideo negandū esset quod in Scriptura perspicuum est, quia non posset à nobis solvi quod difficile est. Videtur tamen ingeniiis moderatis hoc modo satisfieri posse, si videlicet dicamus, decretum Dei de rerum

rum contingentium, & ab hominis libertate pendentium determinatione, non excludere, sed includere libertatem & contingentiam: quia Dei sapientia tanta est, ut decreto suo naturam causarum inferiorum non violaret, ac proinde non tantum rem ipsam, quam sibi præstituit, semper assequatur, sed etiam modum secundum quem eam contingere voluit: ac proinde statuerit, ut causæ necessariæ necessario actiones suas producerent, causæ vero contingentes contingenter, & ex prævia electione. Atque ideo homo libere agit quod agit, quia Deus decretit, ut actiones has potius, quam illas libere ageret.

2. Object. At decretum determinans voluntatem hominis ad has potius producendas quam illas; plane videtur tollere omnem libertatem voluntatis, in actionibus producendis: quum hoc libertatis sit, non ab alio determinari, sed à se.

Resp. Fateor hoc esse libertatis absolutæ, non determinari ab alio, sed tantum à se. Verum hæc absoluta libertas in solum Deum cadit: sufficit vero ad libertatem creaturæ, si ipsa se determinet,

E 4 minet,

minet, ut causa proxima suarum actionum; & interim determinetur à Deo ut causa suprema, & qui proprios suos motus etiam creaturæ relinquit; quemadmodum August. recte loquitur: de Civit. Dei lib. 7. cap. 30.

3. Objectio. Athæc vix possunt intelligi. Resp. Fateor, & hoc libenter, ab intellectu finito vias & modos agendi potentiae ac sapientiae infinitae perfecte capi non posse; nec tamen hinc sequitur rem hanc sic se non habere. Nam omnes (nisi sint Turcis & Ethnicis deteriores) agnoscunt, Deum præscivisse ab æterno determinationem voluntatis humanæ in omnibus actionibus suis. Quis vero hominum intelligere queat, quomodo Deus certum eventum in causis indeterminatis præviderit? Imo vero explicet mihi quis, quomodo Deus infinito scientiæ suæ lumine sine violatione libertatis humanæ hoc præviderit, ego ei eadem opera explicabo, quomodo Deus decreto sapientissimo suo id ab æterno decreverit, & sine violatione libertatis ejus in tempore exsequatur.

*Quæ
sint liberi
arbitrii
vires in
bono &
malo.*

Altera quæstio, cujus antea mentionem fecimus, & ab Aristotele hic agitur,

tatur, est, An voluntas ex natura sua eandem habeat potestatem ad bonum, quam habet ad malum.

Non agimus hic de homine per Christi Spiritum regenito; de cuius ad bene aut male agendum facultate agere, proprie Theologorum est; quia regenerationis res est supernaturalis, quæ homini animali plane ignota est. Agimus ergo de homine naturali & extra statum regenerationis considerato; quales omnes gentiles Philosophi, & eorum discipuli fuerunt.

Quæritur ergo de his, utrum tam sicut in ipsorum potestate bene agere quam male, & contra.

Aristoteles adversus Stoicos atque alios id probat sequentibus argumentis.

1. Quia alioquin legumlatores perpetram benefacientes præmiis, malefacientes pœnis afficerent.

2. Quia objurgationes & reprehensiones frustra adhiberentur.

3. Denique quia pœnitentia & dolor non sequeretur malefacta, tranquillitas animi & lætitia benefacta.

Interim tamen & hoc fatetur; eos qui ex ignorantia, cuius sibi causa sunt, aut ex habitu vitioso male agunt, non

E 5 posse

posse non male agere ; & tamen juste
reprehendi ac puniri ; quia principium
ignorantiæ atque habitus pravi in ipso-
rum fuit potestate ; & quia singulares
actus pravi, non sunt eo modo necessa-
rii , quo habitus ipsi pravi , ex quibus
actus profiscuntur.

Hæc argumenta non sunt nullius
adversus Stoicos momenti. Ut tamen
hæc quæstio Christiane intelligatur ac
solvatur , distinguendum est inter bo-
num, & bonum. Nam aliud bonum est
supernaturale & spirituale : quod nem-
pe cum vita futura certam relationem
habet ; quale est vera resipiscentia , vera
fiducia in Deum per Mediatorem Chri-
stum , vera charitas erga Deum & ho-
mines, vera spes futuræ & æternæ vitæ,
&c. Ad hoc bonum homo non rena-
tus nullas plane vires habet , quia *homo*
*animales non percipit ea qua sunt Spi-
ritus Dei , imo ne potest quidem ea perci-
pere , quia spiritualiter judicantur , 1.
Corinth. 2. ac proinde hoc bonum no-
bis per media supernaturalia revelari , &
revelatum per Christi gratiam com-
municari debet.*

Aliud bonum estnaturale ac Politi-
cum , quod relationem habet cum vita
homi-

hominis in hoc mundo viventis; quo animus hominis intra se Deo proprie non obedit, aut futurum atque æternum præmium respicit: sed per quod virtutes atque artes œconomicas & civiles exercet; quibus hæc vita & hominum societas conservatur, & præmia caduca respiciuntur. Ad hoc bonum consequendum fatemur homini naturali aliquam adhuc libertatem & facultatem esse residuam, sicuti argumenta ab Aristotele allata, atq; exempla multorum laudatorum Ethnicorum, & ipsorum scripta ostendunt, & ipsa etiam S. Scriptura in Pharisæis testatur. Interim tamen & hoc hic tenendum (quod Plato, Pythagoras, Plutarchus, aliique coguntur agnoscere) naturam ad hoc bonum per se consequendum valde esse debilem, & non posse ad aliquem ejus eminentiorem gradum pervenire, nisi divino adspirante auxilio, quod Theologi auxilium speciale vocant. Quemadmodum de Saule historia S. testatur, quod spiritu Iehovæ initio regni sui fuerit indutus; & Cyrus idcirco vocatur unctus Iehovæ; & Basaleel ac Chiram structores tabernaculi ac templi, à Spiritu Dei ad hæc opera extruenda pecu-

103 DE VIRTUTIBVS

peculiariter ornati dicuntur fuisse. ac proinde & hoc bonum à Deo est petendum: eoque magis à Christianis, qui hoc etiam ad fines supernaturales referre didicerunt.

PARS TERTIA.

Quæ agit de virtutibus singularibus.

Explícatis iis quæ ad virtutis naturam in genere consti- tuendā necessaria sunt, con- sequens est ut de singulis vir- tutibus & ipsarum proprietatibus spe- ciatim agamus.

Virtutes quæ huic scientiæ subjiciun- tur, vel sedem habent in voluntate & affectibus, vel sedem habent in intelle- ctu. Priorēs proprie Ethicæ, posterio- res *Agoræ* seu intellectuales appel- lantur, de quibus postea.

Virtutes quæ in voluntate & affecti- bus sedem habent, ab Ethicis nonnul- lis non male dividuntur in semivirtu- tes & plenas virtutes.

De semi- virtuti- bus. Semi-virtutes appellantur *Agoræ* quædam seu dispositiones, & virtutum quedam rudimenta, quæ per se quidem lau-

laudabiles sunt ; sed tamen integrum
virtutis formam nondum habent. Et
licet Aristoteles ante virtutum perfe-
ctarum tractationem de iis non agat,
sed alibi per occasionem; nos tamen de
iis hoc loco tractandum esse judica-
mus, quia ab imperfectioribus ad per-
fectora evidentior est progressus.

Dividuntur autem in naturales, &
acquisitas.

Naturales sunt , affectus quidam
laudabiles , qui hominem ad virtutes
civiles inclinat , à Cicerone virtutum
igniculi , & semina frequenter appellati.

Etsi enim Aristoteles animum homi-
nis rasæ tabulæ comparat , in qua nihil
inscriptum est, sed virtutes & vitia per
adsuetudinem rectam vel pravam in-
sculpi possunt ; tamen cap. ult. 6. libri
Ethicorum , & alibi eos videtur agno-
scere. Et illorum sententia sine dubio
est verior, qua cum Platonicis eos ani-
mis hominum innasci statuitur , cum
Paulus Rom. 2. 14. 15. diserte testetur,
*opus legis scriptum esse in hominum cor-
dibus , & eos natura quæ legis sunt
facere.* Sunt ergo illæ quædam reliquiæ
imaginis Dei, à Deo in natura quamvis
CORRU-

110 DE VIRTUTIBVS

corrupta insitæ, non tantum ad Deum cognoscendum ; sed ut rerum honestarum & turpium discrimen quoq; ei esset notum ; & ut societas hominum, à bestiarum conventibus distinguerentur. Vnde etiam videmus quosdam ad hanc potius virtutem proclives esse , quam ad aliam. Alios aptiores ad fortitudinem bellicam , alios ad Iustitiam civilem , alios ad contemplationem & literas : alios denique ad artes Mechanicas. Ideoque Lacedæmonii legem sati laudabilem constituerant , qua jubebatur , ut puer, cum ea esset ætate, uti certum vitæ genus ei esset delendum , coram Magistratu susteretur ; atque ibi diligenter attenderetur , ad quodnam vitæ genus magis esset idoneus , & quinam boni instinctus vel mali in eo deprehenderentur , ut mali supprimi , & corrigi , boni vero juvari atque excitari possent.

Alterum genus semi-virtutum adsuetudine comparatur , & nihil aliud est quam imperfecta acquisitio virtutum. Quarū genera tot statui possunt , quorū sunt virtutes perfectæ ; commode tamen ad hęc tria reducuntur, Continenziam scilicet, Tolerantiam , & Obedientiam.

dientiam; quarum prior moderatur appetitum concupiscendi, secunda irascendi, tertia utrumque.

De continentia quæ concupiscentiæ appetitum etsi imperfecte moderatur, multis agit Aristoteles lib. 7. Ethicor. Ejusque idem objectum esse docet, quod temperantia.

Continentia ergo, græce ἡσπαρτία, est proba animi constitutio, qua voluptatibus illicitis abstinetur, quia recta ratio eis abstinendum docet, etsi concupiscentiæ appetitus in contrariam partem trahere nitatur.

In viro continente autem tria concurrunt. 1. Recta ratio, quæ quid decorum & honestum sit cognoscit. 2. Concupiscentiæ rebelles motus. 3. Earum tamen repressio, & saltem in plerisque, quibus multitudo hominum succumbit, victoria.

A temperante differt; quod ille motus rebelles concupiscentiæ jam edomuit, ac proinde facilius & cum jucunditate quadā voluptatibus abstinet; ut qui hostem jam devicit, adversus quem continens adhuc pugnat, & quem cum labore & molestia ut plurimum superat.

Continenti opponitur incontinentia,
Græce

Græce ἀνεργία, qui à levioribus etiam concupiscentiæ motibus vincitur, iisque, etsi rationi ejus repugnant, sponte tamen cedit atque indulget.

Ab intemperante incontinentis, secundum Aristotelem differt, sicuti moribus incurabilis à curabili, & semper durans ab eo qui per intervalla recurrit. Intemperans enim habitu vitioso laboret, & ratio ejus cum affectibus pravis semper conspirat. Incontinentis vero rationem illam generalem, saltem actu primo, adhuc integrum servat, & quia ex infirmitate aut temeritate peccat, inviam facilius revocari potest: quoniam ipsius actiones pravas pœnitentia fere sequitur.

De tolerantia.

Altera semivirtus est tolerantia, Græcis dicta ῥητερία, cui opponitur molitiae seu μολιτίαι, quæ tolerantia irascendi appetitui eodem modo moderatur, quo continētia appetitui concupiscendi; perfert enim dolores quibus plerique homines succumbunt, quia recta ratio preferendos suadet, etsi id ab eo fiat cum labore & molestia.

Eodem modo differt à fortitudine, quo continentia à temperantia; & molitiae tolerantiae opposita eodem modo differt.

differt ab ignavia & timiditate, quo incontinentia ab intemperantia.

Tertia semivirtus statuitur obediens, de qua Aristoteles lib. 1. cap. 4. ubi hanc dispositionem in idoneo Ethices auditore requirit. Est autem recta animi affectio, qua se sapientiori & recte monenti subjicit, eique obedit, quia recta ratio obediendum judicat; etsi habitum virtutum illarum (ad quas eū hortatur) nondum plene possidet. Et hæc proba animi dispositio est instrumentum, & via per quam reliquarum virtutum habitus paulatim acquiruntur. Quamobrem & Aristoteles Hesiodi testimonium in hunc finem affert: quo primas bonitatis partes ei assignat qui ex se & per se sapit; secundas vero, qui recte monenti obtemperat.

De obedientia.

Οὗτοι μὲν πανάρετοὶ αὐτὸς πάντες νόηση,

Φρεσάμενοι τὰ καὶ πάντα νῦν οἱ τέλεοι
ωῖσσαί τε εἰσίν.

Εἴδελοι αὖτε κακῶν οἱ διεπόντες πε-
ρι).

Οἱ δὲ καὶ μήτε αὐτὸς νοέντες, μήτε ἄλλοι
ἀκέστων.

Ἐγώ γνωμένος βάλωνται, οὐτε αὐτοὶ μηδένιοι
ανηγόνοι.

Hæc

Hæc quæ ab Aristotele de tribus his semivirtutibus dicuntur, ea mente quæ ab eo dicuntur, à veritate non sunt aliena: interim tamen & illud hic adnotandum est, continentiam, toleratiā, & obedientiam talem in Scripturis nobis præscribi, quæ inter perfectas & maxime arduas virtutes merito censendæ sunt; de quibus latius agere ad Theologos pertinet.

Semivirtutibus hisce sic breviter expositis, reliquum est ut ad ipsas virtutes explicandas deinceps procedamus.

Virtutes Ethicæ dividuntur à variis authoribus varie.

Danæus & nonnulli alii virtutes dividunt secundum ordinem decalogi, nempe in eas quæ spectant Deum, & in eas quæ spectant proximū. Quæ Deum spectant continentur quatuor primis decalogi præceptis. Quorum primum mandat cultum Dei internum, nempe ejus rectam cognitionem, fiduciam in ipsum, charitatem, &c. Reliqua externum; qui opere & facto præstatur, præcepto secundo; qui verbis, præcepto tertio; qui ceremoniis religiosis, præcepto quarto. Virtutes quæ proximum spectant continentur reliquis sex. Internus

*Virtutum
perfe-
ctarum
divisio.*

ternus affectus erga proximum dirigi-
tur præcepto ultimo. Externæ vero
actiones, reliquis: quarum nonnullæ
versantur inter superiores & inferiores,
præcepto quinto; inter omnes univer-
se, reliquis; respectu vitæ, præcepto sex-
to; respectu pudicitiæ, præcepto septi-
mo; respectu bonorum externalorum,
præcepto octavo; respectu denique fa-
mæ & nominis ejus, præcepto nono.
Hæc divisio sane pulcherrima & perfe-
ctissima est, utpote à Deo ipso divina
plane methodo profecta; sed quia hæc
magis est Theologica, ideo hanc in
præsentia non sequemur.

Stoici veteres, quos Cicero in officiis
sequitur, divisorunt omnes virtutes in
quatuor species; nempe Prudentiam,
Iustitiam, Fortitudinem, & Tempe-
rantiam, quas virtutes cardinales voca-
bant, sub quibus reliquæ omnes conti-
nentur.

Nos vero, quia hactenus Aristotelis
vestigia secuti sumus, ea etiam dein-
ceps sequemur; ut ita, quantum natura
hominis, Dei verbo destituta, hic con-
sequuta sit, melius discamus. Errores
tamen si qui occurrunt, ad verbi Dei
normam corrigemus.

Vir-

116 DE VIRTUTIBVS

Virtutes Ethicæ quæ ab Aristotele explicantur, ab eo referuntur lib. 2. cap. 7. pertractantur vero postrema parte lib. 3. item lib. 4. & 5. Referuntur autem ab eo sequentes.

1. Fortitudo. 2. Temperantia. 3. Liberalitas & magnificantia. 4. Modestia & magnanimitas. 5. Mansuetudo & clementia. 6. Affabilitas. 7. Veracitas. 8. Comitas. 9. Affectus laudabiles, nempe Verecundia, & Nemesis. 10. Denique Iustitia.

Hæ virtutes etsi ad certa genera reduci possint: quia tamen id ab Aristotele non fit, sed tantum recensentur, nos etiam sola enumeratione contenti erimus; earumque naturam summatim explicabimus, & quæstiones quæ de iis moventur breviter adnotabimus.

De Fortitudine.

Fortitudo, ἀρδεία, si vocis usum spectes, vel corporis est, vel animi. Fortitudo corporis in lacertis, & viribus consistit, sed talis leonum quoque & taurorum est. Hæc proprie virtus non est, sed virtutis hujus nonnunquam insigne instrumentū. Fortitudo animi vel Christiana est, vel Civilis. Christiana, quum

quum homo nullum dolorem , aut pericula fugit, quo Deo obediatur, ejusque veritati testimonium præbeat , atque hæc maxime in Martyribus eluxit.

Civilis ab Aristotele definitur, mediocritas $\omega\epsilon\eta\varphi\alpha\lambda\epsilon\alpha\eta\varphi\sigma\sigma\epsilon\gamma\eta$, id est, circa ea quæ fiduciam aut metum lignunt, proprie vero circa pericula, quæ vir fortis opportune subit, & generose perfert, quia honestum est, & quia turpe est non subire atque perferre.

Objectum fortitudinis est duplex, internum , atque externum. Internum objectum , sunt vehementes iræ & doloris perturbationes, quas fortitudo reprimit, ne modum excedant, si forte per externa objecta acrius irritentur. Nam

*Fortiore est qui se, quam qui fortissima
vincit*

*Mœnia, nec virtus altius ire pe-
test.*

Cui & ipse Sapiens attestatur Proverb.
16. 32. *Melior est longanimus robusto, &
qui dominatur in animum suum, eo qui
capit civitatem.*

Externum objectum rursus duplex est, commune, vel bellicum.

*Commune, vocantur quævis mala
aur*

aut infortunia, quæ in vitam communem hominum incident. Qualia sunt jactura bonorum, ignominia, morbi, mors amicorum, &c. Etsi ergo Aristoteles hæc ad proprie diætam fortitudinem non referat, tamen qui hæc moderate perfert, fortis omnino vocatur, & dicendus est: quemadmodum & ille qui mortem naturalem aut casualē, ut vocant, non nimium extimescit: quia vir probus Dei Providentiæ se modeste subjicit, & in vitæ futuræ beatitudinem oculos conjicit. Bellicum objectum, sunt pericula & mors bellica. Quia autem fortitudo viri civilis in bello maxime elucet, maximeque honoratur, & hæc æquitatis causa evidentius suscipi potest, idcirco Aristoteles in hujus explicatione maxime insistit; & hanc fortitudinis speciem præcipue commendat.

Extrema quæ cum hac virtute pugnant, & inter quæ fortitudo media est, sunt, in defectu *timiditas seu metuolitas*, *deuilia*, in excessu *temeritas seu audacia*, *þrâsos*. *Timidus* quemvis dolor metuit & fugit, *audax* vero in quævis pericula inconsiderate ruit. *Timidus* propter periculorū metum officium

ciam deserit: *audax* & *temerarius* si-
ne necessitate, ex animi quodam fa-
stu, quævis discrimina adit. Fortis au-
tem, etsi doloris sensu non caret, peri-
cula necessaria non fugit, sed honesta-
tis causa ea libenter subit; & quia non
nisi prudenter ab eo suscipiuntur, ideo
ea constanter perfert, & quo magis in-
gruunt, eo generosius iis it obviam,
quamdiu vires locum habent, aut mori
honestum est. Unde & recte colligi-
tur, viro forti nonnunquam licere ho-
neste fugere, sine turpitudinis aut ti-
miditatis nota: si morte suæ patriæ ma-
gis prodesse non possit, quam vita:tum
enim fugit non quia mortem metuit,
sed ut se ad majus bonum reservet.

Temerarius vero, pericula quidem
animose subit, sed illis præter expecta-
tionem ingruentibus facilius cedit, &
in fugam in honestam conjicitur, quia
certa ratione ac debito fine ab eo non
sunt suscepta; quapropter etiam *Ipso-*
σύδελοι ab Aristotele appellantur, quia
audaces sæpe simul sunt timidi.

Vt vero fortitudinis natura eo evi- *Fortitu-*
dentius liqueat, Aristoteles hic quæ- *dinis que-*
dam fortitudinis simulachra à vera for- *dam si-*
titudine distinguit, i. Maxime vicina *mula-*
for- *chra.*

fortitudini veræ est , fortitudo eorum,
 qui metu ignominiæ & reprehensionis,
 aut spe honoris fortiter pugnant. 2. qui
 ob metum disciplinæ militaris. 3. qui
 ob peritiam rei militaris confidentius
 agunt, aut propter vires corporis, & ar-
 morum quibus recti sunt. 4. qui ex im-
 petu naturæ id faciunt, ut ob iram, do-
 lorem , aut libidinem. 5. qui ex igno-
 rantia virium hostilium fortiter agunt.
 6. qui ob metum servitutis , aut spem
 prædæ. Hi omnes enim cum propter
 ipsam honestatem non pugnant, vere
 fortes non sunt, ac proinde , causa quæ
 eos ad fortiter agendum movet cef-
 sante, deficiunt, aut animum despon-
 dent. Hæc omnia ab Aristotele recte
 dicuntur, nisi quod honestas ipsa ei ex-
 tremus semper sit scopus , cum tamen
 vir vere fortis Ecclesiæ defensionem,
 Deique super omnia gloriam sibi in
 omnibus propositam habeat.

Sequuntur jam aliquot quæstiones,
 quæ ab Aristotele & aliis hic propo-
 nuntur.

Quæritur an viro forti nihil liceat
 metuere? & respondetur , non tantum
 licere, sed etiam honestum esse ut quæ-
 dam metuat: qualia sunt, 1. Res turpes,
 infa-

Quæstio-
 nes de
 fortitu-
 dice.

infamia, dedecus uxoris aut liberorum, &c. 2. res adeo formidolosæ, ut earum impetus humanas vires longe superent, fulmina videlicet, terræ motus, inundationes maris & similia: quæ tamen ita non sunt metuenda, ut propter metum pusillanimus quis judicetur, aut officium deserat.

2. Quaritur, utrum viro forti liceat metuere mortem? Respondet Aristoteles, virum fortē molestius ferre mortem naturalem, aut ex naufragio, & simili casu, quia in illis tantus virtuti non est locus: imo & vulnera, ac quamvis mortem posse metuere, etiam bellicam, sed ut oportet; quia illa virtutum omnium, & bonorum est privatio, etsi honestatis causa eam nihilominus constanter subeat.

Hæc responsio aliquo modo tollari potest, si affectum naturalem in homine spectemus, quia omnis mors præter naturam est, & violenta corporis atque animæ divulsio. Videmus quoque Davidem, atque Ezechiam, viros fortissimos mortem immaturam à Deo esse deprecatos; quia per vitam suam, se Ecclesiæ, & Dei gloriæ magis servituros judicabant. Alioquin vero circa

F has

has considerationes, cum mentem ad mundi miserias, peccati inhabitantis molestias, Dei voluntatem, vitæque futuræ felicitatem convertunt; in primis per mortem suam Dei veritatem & gloriam sint illustraturi, morte etiam cum gaudio expectant: quia mors ipsorum, sive naturalis, sive violenta, sive bellica, non est bonorum omnium finis, aut virtutum extinctio, ut hic perperam afferit Aristoteles; sed est verorum & perfectorum bonorum initium, & omnium Christianarum virtutum perfectio, ac consummatio.

3. Ultima quæstio, & inter Philosophos olim controversa, est: An liceat viro forti sibi manus inferre. Stoici id licere judicabant, ut Cato Uticensis suo exemplo probavit; & videtur illis pars aliqua esse fortitudinis mortem contemnere.

Aristoteles tamen hic rectius sentit, & Pythagoræi, qui statuerunt id plane esse illicitum, & sicuti miles de statione, aut præsidio discedere non debet, nisi ab Imperatore evocetur, aut discessus tempus ab Imperatore constitutum advenerit, ita etiam homini non licere ex hac vita abire, nisi à Deo ipso evo-

evocetur: quæ sententia Christianæ veritati consentanea est.

1. Quia præceptum generale est, non occides; si autem alterum occidere non licet, multo minus seipsum; cum regula dilectionis proximi sit sui ipsius dilectio.

2. Quia ratio præcepto huic Genes. 9. vers. 6. addita, communis est adversus inferentem aliis & sibi necem, *Qui effuderit sanguinem hominis, per hominem sanguis illius effunditor, quia ad imaginem suam hominem fecit Deus.* qui ergo se occidit, imaginem Dei in se violat.

3. Ephes. 5. vers. 29. *Nemo propriam carnem odio habet:* Ergo multo minus occidit.

4. *Aὐτοῖς exempla quæ in scripturis exstant, condementur à Scriptura.*

5. Denique ipse Aristoteles & hanc rationem affert: quod qui ob paupertatem, aut amorem, aut molestum aliquid, sibi manus inficit, non fortis sed potius timidus sit; quum mollitudo nis sit laboriosa fugere.

1. Obiect. At fieri potest, ut quis, ad malum evitandum, quod morte majus

F 2 est,

est, id faciat: ut Lucretia, ad ignominiam Numantini ac servitute.n effugiendam. Ergo ex dilectione propria id sit, quæ minus majori anteponit. Respons. Ignominia quam Lucretia, si contra voluntatem suam vim passa est, metuere potuit, & servitus Numantinorum, mala sunt tristia seu pœnæ, non turpia seu culpæ. *Ἄνεφοια* vero non tantum est malum triste, sed etiam turpe; quia contra Dei & naturæ Legem est, ac proinde hoc illo semper est præferendum. Deinde vel figoum extrema superbiæ, ut in Catone & Numantinis, qui se hostibus validioribus subjicere noluerunt; vel extrema puerillanimitatis & desperationis, quemadmodum in Saule, Achitophele, Iuda, &c. Qui hoc pacto spem veniæ à Deo cōsequendæ cum vita sibi præciderunt; & ut angores ac furias conscientiæ evaderent, pœnas infernales in se accelerarunt.

2. Obje&t. Malum triste est præferendum malo turpi. Ergo & virgini, ut manus stupratoris effugiat, mortem propriam eligere licet. Resp. N. conseq. quia stupri violenta perpeſſio non est scelus tuuin sed alienum, mors vero
à te

à te tibi illata est scelus tuum, non alienum.

3. Object. At in historiis sacris & prophanicis exempla extant, quæ ab omnibus laudantur; si nempe per mortem tuam patriæ magnum aliquod bonum concilias: ut Curtii, qui liberavit morte sua urbem peste: Samsonis, qui morte sua vindicavit Israëlem. Resp. Non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Quod vero exemplum Curtii attinet, id imitari non licet, quia ex postulato dæmoniaci oraculi id factum, & quia ex gloriæ solo appetitu profectum. Samsonis vero, qui Hebr. II. inter fideles Iudices recensetur, alia ratio; quia extraordinarium hoc fuit, ac proinde imitari non licet, nisi hæc tria concurrant. 1. Vocatio ad ejusmodi publicam vindictam exercendam. 2. Evidens bonum patriæ & religioni inde oriturum. 3. Instinctus divinus & extraordinarius. Quæ tria in Samsone sunt conspicua.

De Temperantia.

Secunda virtus est temperantia, Græce σωφροσύνη, quæ τὸ ἐπιθυμητικόν, seu concupiscendi appetitum moderatur.

Est autem temperantia, virtus qua-

F 3 me-

mediocriter, & ut oportet appetuntur aut fugiuntur res illæ, quæ voluptate sensus afficiunt.

Voluptates autem illæ considerantur vel communiter in omnibus sensibus, vel speciatim in sensu gustus & tactus.

Temperantia, quæ moderatur voluptates, ex visu, auditu, & odoratu nascentes, proprio & speciali nomine caret; quia vitia hic minus noxia sunt, & conspicua. Et hic quoque tamen modus est adhibendus, aut facile in utramque partem peccabitur. Nam si quis nimium delectatur picturis, floribus, spectaculis, &c. aut avium cantu, ac musica, item odorum diversa copia, is in hanc virtutem peccabit: si quis vero nullo harum rerum sensu afficiatur, in alterum extremum incidet.

Quæritur hic, an voluptas animi quæ ex virtutum actionibus nascitur, hujus quoque virtutis objectum sit. Et ex sententia Aristotelis eam non esse hujus virtutis objectum constat, quia nemo re honesta nimium delectari potest, ac proinde nec intemperantia uti. Potest tamen fieri, ut homo etiam una aliqua virtute nimium delectetur, ut si quis ex

con-

contemplatione rerum naturalium tantam voluptatem capiat, ut reliqua vitae officia negligat; quod quibusdam Philosophis, & Anachoretis contigit: aut ut ex nimia suarum virtutum admiratione evanescat, atque insolescat; quod Ciceroni aliisque contigit. Sed hoc potius vitium adversus omnium virtutum connexionem, quam adversus singulari rem aliquam virtutem peccat.

Proprium ergo & præcipuum hujus virtutis objectum est voluptas, quæ sensum tactus aut gustus afficit, nec tantum externum, sed etiam internum, qui ex imaginatione nascitur, item ex sermonibus, & gestibus impudicis.

Temperantia, quæ moderatur voluptati gustus, proprie sobrietas & frugalitas appellatur; cuius contrarium in excessu est *αρσημαχία* helluatio, seu voracitas, & ebrietas; in defectu nimia abstinentia.

Temperantia, quæ moderatur voluptati tactus, vocatur pudicitia, castitas, sive in conjugio sive extra conjugium servetur; cuius contrarium in excessu est obscenitas & impudicitia, &c.

Extrema inter quæ temperantia est media, sunt in excessu *ἀκρλασία*, intem-

F 4 peran-

perantia, in defectu vero stupor seu
ārāoθnoīa, id est, insensatio. Sed pauci
in hoc extremum peccant; atque ideo
Socrates eum qui nullo earum rerum
sensu afficeretur, vel Deum esse dixit,
vel truncum.

*Remedia
adversus
intem-
peran-
tiam.*

Quia vero corrupta hominum na-
tura ad hunc excessum valde proclivis
est, idcirco & à Philosophis & Theolo-
gis Christianis, quædam remedia sug-
geruntur, per quæ hoc vitium expu-
gnandum est. Remedia autem illa vel
sunt humana, vel sunt divina.

Humana sunt, consideratio infamiae,
quæ ejusmodi vitia comitatur, vitatio
occasorum, scriptorum, sermonum
impudicorum, quibus homo ad hæc
vitia pellici solet, & contra inter so-
brios & pudicos conservatio. Nam
Φθέρουν οὐτε χειρὶς οὐδὲ λίγα ναγκά. Cor-
rumpunt bonos mores conversationes
pravae. 1. Cor. 15. 33. Denique diligens
consideratio exemplorum; quæ in hi-
storia & vita communi nobis demon-
strant, quanta mala secum trahat in-
temperantia, & quæ contra animi ac
corporis bona comitari soleant tem-
perantium.

Divina sunt, seria præceptorum di-
vino-

vinorum adversus hæc vitia meditatio,
cultus divini diligens observatio , ar-
dentes & continuæ ad Deum preces, je-
junia religiosa, & similia ; quæ Dei ver-
bum nobis proponit, ut hoc pacto mens
Deo potius atque ejus voluntati , quam
mundo & carni servire possit.

De Liberalitate, & Magnificentia.

Tertia virtus , de qua Aristoteles ini-
tio libri 4. agit, est liberalitas, Græ-
ce ἐλευθερία.

Est autem ea , Mediocritas in reci-
pienda atque eroganda pecunia , ut in
iis nihil committatur , nisi quod hone-
stum & decorum est.

Objectum ergo hujus virtutis sunt
pecuniae seu pecuniæ. Per pecunias au-
tem hic non tantum nummi intelligun-
tur, sed quævis opes, seu quicquid num-
mis æstimari potest.

Officia propria hominis liberalis sunt
juste accipere & recte erogare, seu do-
nare , & sumptus facere. Accipit ergo
liberalis, nonnisi unde debet : id est, ex
rebus propriis; nonnisi uti debet , id est,
ea moderatione & mensura, qua debet;
nonnisi à quibus debet, id est, non ex
lenocinio , alea , fœnore , aut alio turpi

F 5 atque

30 DE VIR RVT:BS
atque odioso quæstu, sed ex honesto la-
bore, functione, mercimonio, hære-
ditate, reditu, &c.

Alterum officium viri liberalis est
recte erogare, seu donare, & sumptus fa-
cere; & in hoc liberalitas maxime elu-
cet; quia qui recte accipit, juste potius,
quam liberaliter agit; qui vero *recte*
erogat, juste partis utitur, beneficus
est, maximamque laudem & gratiam
inter homines meretur.

In recta autem erogatione hæc fere
à Philosopho observantur. 1. Ut non
detur nisi personis honestis & honesta-
tis causa. 2. Ut detur quantum oportet,
& ubi oportet. 3. Ut detur quibus &
quando oportet, nempe qui opis no-
stræ plurimum indigent, aut qui id de
nobis sunt promeriti, aut quos com-
munitas & societas vitæ nobis maxime
commendat. & ne nimia cundatione
beneficii gratia aut splendor pereat.
4. Ut detur *νόσος ηγετικώς*, cum hilas-
titate & sine dolore. Dolore vero affi-
citur (decenti tamen) liberalis; si sen-
tit, non recte collocata quæ dedit, aut
non datum esse ubi dandum fuit. Po-
tius tamen dolet propter posterius.
5. Ut detur pro facultatibus, id est, ne
fons

fons ipse , unde datur , exarescat : ac
proinde is cui minores sunt facultates,
pauciora det ; cui majores, plura. Quia
liberalis aetio , non tam ex multitudi-
ne rerum quæ dantur , quam ex animo
& habitu dantis , metienda est : unde &
fieri potest , ut qui pauciora dat , magis
sit liberalis , ταῦ δὲ ἐλασθόνων διδούσι , si è
minoribus facultatibus det. unde & Sa-
piens Proverb. II. 25. *Animus beneficus*
pinguis efficitur , & qui ubertim com-
municat , idem amplius profundet. Et
rursum cap. 22. 16. *Qui opprimit te-*
nuem ut amplificet rem suam , & qui
dat diviti , tandem ad egestatem deve-
niet.

Extrema , inter quæ virtus hæc est Extrema
media , sunt duo ; in excessu nempe quæ cum
ἀρχεία , prodigalitas , in defectu vero hac vir-
ἀρετὴ , seu avaritia: quarum natura tute pu-
gnant.
ex virtute antea descripta satis patet.

Avarus enim aut accipit quæ non
oportet , aut unde non oportet , aut , non
eo modo & mensura qua oportet ; vel
contra non erogat , ubi debet , quando
debet ; & uti debet .

Notat tamen & hoc recte Aristote-
les , duo esse avaritiæ genera , quorum
unum altero est deterius , neutrum ta-
men

men cum virtute coniunctum. Deter-
rimum est eorum qui injusta & turpia
lucra sectantur, eademque avide reti-
nent. Alterum vero eorum, qui ab in-
honestis quidem & alienis abstinent,
sua tamen avidius quam decet retinent,
& parcus quam convenienter erogant, si-
ve donandum, sive sumptus faciendi
sint: qui proprie parci, tenaces, sicci, &
cumini sectores vocantur.

Prodigus vero contra plus erogat
quam oportet, & in quos non oportet.
Unde s̄epe fit ut prodigus etiam sit a-
varus; quia, ut prodigalitati suae super-
esse possit, inuste unis extorquet, quod
aliis donet, aut in sumptus superva-
cuos profundat.

Repte & hoc à Philosopho notatur,
illum ad prodigendum magis procli-
vē esse, qui opes ab aliis accepit, quam
qui industria & labore suo eas acquisi-
vit: Quia omnes sua magis amant, &
à se profecta, quam alieno labore par-
ta, aut aliunde profecta. Deinde & pro-
digum liberali esse similiorem, quia in
multos beneficis videtur. Denique pro-
digum facilius reduci à vitio suo ad li-
beralitatem; avarum vero esse incura-
bilem; quia, cum nummo & cum æta-

te

te, habendi amor fere crescit : *Et qui pecuniam amat, non satiatur pecunia.*
Eccles. 5. v. 10.

Eiusdem naturæ cum liberalitate est *De Ma-*
Magnificentia, Græce μεγαλοπεία, gnifi-
ac circa idem fere subjectum versatur, *centia.*
nempe circa pecunias, aut potius circa
sumptus.

Occupatur autem non circa res exi-
guas aut mediocres, sed circa magnifi-
cas & illustres, ideoque propriæ Ma-
gnatum est, Magistratum, & Princi-
pum. Etsi enim homo vulgaris hujus
etiam virtutis habitum habere potest,
tamen actiones ejus exercere vix po-
test, nisi valde raro, ut in nuptiis.

Definitur autem, moderatio animi
in magnis sumptibus faciendis occu-
pata, ut in iis assequamur, quod hone-
stum est, ac decorum.

Objectum hujus virtutis duplex est,
divinum, aut humanum : divinum in
operibus divinum cultum spectantibus
versatur ; humanum in operibus huma-
nis ; utrumque non tam in pecuniæ ex-
pensæ multitudine, quam in operis pul-
chritudine, decore, & majestate con-
sistit.

Ad divina opera referuntur ab Ari-
stotele,

stotele, Deorum Heroumque dedicationes, templorum exstrunctiones, sacrificia, similesque solennitates; ad humana vero, ludorum exhibitiones, præfeturarum aditiones, epularum publicarum donationes, &c.

Nos ad divina referre possumus Tempa, Xenodochia, Nosocomia, Collegia, Academias, & redditus, ad eorum sustentationem, qui in ea recipiuntur, idoneos. Ad humana autem, ædificia publica, aulas Principum, convivia publica, legationes, aut legatorum exceptiones, & inaugurationes Principum, remunerations, congiaria, aliasque donationes à Rep. aut Principe publice factas, &c. aut etiam à privatis atque opulentis in usum privatum extratta, aut exhibita; modo conditionem & fortunas eorum non excedant.

Contraria huic virtuti, in defectu est *μηνγοπτεία*, pusillitas, quando in decoro deficitur, aut cum animo anxi & querulo sumptus fiunt: in excessu *βαρωτία*, quæ est jactantia, & ostentatio in rebus non necessariis, qualis Cleopatra fuit, cum Antonium convivio exciperet, & unionem immensi pretii liquefactum ei propinaret: aut in ædificiis

ciis legationibusque omnem modum
excedens splendor, opumque profusio.

De Magnanimitate, & Modestia.

Magnanimitas, Græce μεγαλοψυ-
χία est virtus, quæ in magnis ho-
noribus appetendis, fugiendis, & ge-
rendis, constanter eligit id quod deco-
rum est.

Objectum ergo hujus virtutis sunt,
πραιτή ἀληματική, id est, honor, & hono-
ris privatio: non tamen quivis, sed ma-
ximus tantum. Subjectum, est animus
in quo omnium virtutum est culmen.
inde sit ut magnanimus quibusvis ho-
noribus dignus sit, cum nullum pretium
sit majus honore, & nulla merces vir-
tuti completæ adæquari possit.

Propria hujus virtutis plurima ab A-
ristotele hic colliguntur; quorum quæ-
dam animum viri Magnani*m*is spectant,
quædam actiones, quædam externos
ejus gestus.

Animum ejus præcipue spectant:
1. quod sicuti magnis dignus est, sic
etiam magnis se αξιοῖ, dignum censet,
καὶ αξιῶς, cum dignitate tamen. 2. si
honores debiti à bonis cōferantur mo-
derate, gaudet, ὡς τὸ οἰκεῖον τοῦ χάρων, η
κὴ

καὶ λατήσων, tanquam ad se pertinentia adeptus, vel meritis minora. 3. ὅτε ἀτυχῶν πείσθησις ἐστι, ὅτε ἀτυχῶν πείσιαν πάσῃ, nec in secundis insolefecit, nec in adversis animo frangitur; quia res externas despicit utpote virtute sua minorēs. 4. ὁ δὲ θεομάρτυρ, nullarum rerum admirator, quia nihil ei magnum. 5. ὁ δὲ μηνούγενος, nec injuriarum memor, quia eas contemnit. 6. nec valde curat utrum laudetur an vituperetur, utpote recte fastorum sibi semper conscius, & sibi αὐτάρχεις, id est, se ipso contentus. Denique δέ τε γένεσις μηδέποτε αἰχμαλώτης, αὐτόνεγκτος πανδίκων, pudet eum si beneficium accipit, & majori mensura conatur reprendere, ut semper sit superior; ideoq; beneficiorum quæ accepit mentionem ἀνδῶς, sine voluptate, quæ vero in alios contulit, ηδέως, cum voluptate audit.

Ad actiones ejus referuntur fere sequentia. 1. Ad honores expetendos δρός καὶ μελλότης, tardus est & cunctabundus; nisi forte valde sint magni, & ardui, ac laborum pleni. 2. ὁ λίγων προσκλήσεως, μεγάλων ἢ ἐπομένων, paucas res aggreditur, sed magnas, & memorabiles. 3. Φανερόμενος, καὶ φανερόφλαγμα, aperte

aperte amicus aut inimicus; amicus puta bonorum, inimicus pravorum; quia latenter hæc agere metuentium est. 4. quæcunque agit, aperte agit & loquitur, ideoque, $\kappa\alpha\lambda\phi\gamma\eta\eta\lambda\kappa\delta\sigma$ ε αληθουπικός, contemptor puta gratiæ aut ingratiae hominum, ac verax, dissimulare nequit, nisi forte apud multitudinem, atque ideo non nisi cum amicis conversari potest. 5. rursum οὐδὲ ιπομετικός εἰ οὐδὲ κακολόγος, nec laudator aliorum, nec maledicuſ, ne in inimicos quidem εί μὴ δι' ὕβριν, nisi ob contumeliam. 6. nec petax nec querulus: bona fortunæ si adsint, ad beneficentiam refert, si absint, non valde requirit, atque ideo pulchrorum potius, quam utilium possessor. 7. Inter Illustres magnus est, inter medios medius, nec cum imbellibus, sed cum fortibus contendit. 8. nec φιλοκίδων, nec μιχεοκίδων, sed μεγαλοκίδων, nec pericula amat, nec parva aggreditur, sed magna tantum, atque in iis ἀφέδης βίσ, vitæ suæ non parcus. 9. Honores magnos à bonis oblatis suscipit non tanquam æquivalens pretium virtutis suæ, sed quia majora ei dari nequeunt; minores vero & vulgares contemnit tanquam

quam se indignos, sicuti & repulsam, quia ipsum juste non tangit. 10. Denique cum homines potentes, divites, & nobiles, virtute non prædicti, Magnanimum hac in re imitantur, quod alios præ se contemnunt ac despiciant, solus Magnanimus δικαιος καταφεοει, quia ἀληθεως δοξαζει, juste, inquit, alios despicit, quia judicium ejus est secundum veritatem; quum reliqui injuste hoc faciant, quia virtute illa carent.

Hæ sunt ergo ex sententia Aristote-
lis actiones viri Magnanimi. Addit de-
nique eorum externos gestus magni
quoque animi signa præ se ferre, in in-
cessu nempe tarditatem, in habitu gra-
vitatem, in voce & oratione constan-
tiam.

*Extrema
qua cum
hæc vir-
tute pu-
gnant.*

Extrema cum hac virtute pugnantia
sunt, in defectu μικροψυχία, id est pu-
fillanimitas, cum quis magnis bonis di-
gnous, se tamen indignum judicat, quia
seipsum ignorat, ac proinde tibi ipsi
deest. Hic tamen malus non est, nec
stolidus, sed potius piger, & ignavus.
Alterum extremum in excessu est χαρ-
νότης, id est, animi elatio atque arro-
gantia, qui cum magnis dignus non
sit, magna tamen appetit, ac vestium
splen-

splendore, externo fastu, verborumque
jactantia se dignum videri vult, aut in
honoribus jam acquisitis insolenter se
gerit.

Eorum quæ de viro Magnanimo di-
cta ab Aristotele sunt, nonnulla vere
dicta sunt, alia recta explicatione mol-
liri possunt, si tamen omnia ολως quis
consideret, nonnulla hominis natura-
lis Pharisaicum fastum omnino sapiunt.
ac proinde à vera Christiana magnani-
mitate sunt aliena.

Nam quod τὸ πεντερόν, humilitatem
omnem à viro Magnanimo alienam
judicat, & eum facit aliorum τιμητικού
νοή καταφερτικού: id est, despectorem &
contemptorem, id plane est Pharisa-
cum. Nam melius est submissum esse
spiritu cum mansuetis, quam partiri
spolium cum superbis, ait Sapiens Pro-
verb. 16. vers. 19. Quod vero ipse se qui-
busvis honoribus dignum judicat, &
propria virtute omnia minora æsti-
mat, aut beneficia ab aliis accipere, &
accepta agnoscere præter decorum ar-
bitratur, id supra sortem humanam est.
Rursum quod magnanimum non vult
esse αὐτρωπολόγον nulliusque laudato-
rem, id ferri potest, si adversus adulata-
tionem

Senten-
tie Ari-
telicæ
correctio

tionem intelligatur : alioqui videmus viros vere Magnanimos in Scriptura sacra , alienas potius quam suas virtutes, modeste tamen , ubi opus est , prædicare: secundum præceptum Sapientis, *Laudet te os extranei , non autem os tuum , alieni , non autem labia tua.* Proverb. 27.

2. Quod maledicunt vel in hostes neget, id reſte, ſed quod adjungit, *nisi ob contumeliam , à fermento humano eſt :* Scriptura vero jubet etiam benedicere iis, qui maledicunt , aut ignominiam inferrunt ; Matth. 5. vers. 44. niſi id de contumelia in Deum, aut injuria publica intelligatur: quam vir Magnanimus impunitam non relinquit, non tamen ex affectu privato, ſed ex vocatione publica , tanquam minister Dei , & gladio à Deo instructus. Rom. 13.

Magna-
nitas
vera &
Christia-
na.

Esto ergo nobis vir magnanimus, qui honoribus magnis eſt dignus ; & ſe iis non plane indignum ſentit ; ſi nempe dignitatem & ingratitudinem inter homines conſideres ; ſi vero conſiderentur ut di- vinitus collata beneficia , nemo ad hæc eſt idoneus , ut Paulus de Apostolatu N. Test. loquitur 2 Cor. 2. & 3. & David ac Salomon de munere regio , 2 Sam. 7. & 1 Reg. 3. capite. Imo & opibus, magno

magno licet cum labore suo à se partis,
Iacob se indignum profitetur, atque eas
ad Dei solius benignitatem refert. Ge-
nes. 32.

Deinde & vir magnanimus honores,
quibus aliquo modo par est, ad quos
per Dei gratiam se magis idoneum red-
dere potest, nonnisi modeste appetat; si
honores illi non conferantur, repulsam
facile ferat, & in vocatione præsentis
acquiescat. Nam stulti ipsius indignatio
eodem die agnoscitur, tegit vero igno-
miniam sapiens. Proverb. 12. 15. si vero
conferantur, in iis gerendis animum
modestum, & tamen magnum ac con-
stantem ostendat, omniaq; non ad pro-
priam, sed ad publicam utilitatem, &
Dei gloriam referat; judicia vero ac
strepitum malignum multitudinis par-
vi faciat, modo recte factorum cœn-
scientia ipsi constet; injuriarum memor
non sit; in adversis non frangatur ani-
mo, in secundis non insolescat; vitæ
suae quoque non parcet, si ea pro Dei
gloria, Ecclesiæque ac patriæ conserva-
tione sit profundenda. Res vero suas
non prædicet, nisi ut Deus per eas glo-
rificetur; alienas non deprimat, sed suo
loco & tempore Dei gratiam in iis
quoque

quoque agnoscat. *mētēlōs*, res externas non nimis magni faciat, sed iis æquo animo careat si absint, quia vera hominis felicitas in iis sita non est; si vero adfint, iis cum gratitudine erga Deum, & beneficentia erga proximum moderate utatur.

Quo vero major est, & melior, eo coram Deo se magis humiliet, & proximum se minorem, modo pium & probum, non despiciat. Quia nihil humani à se alienum sentit, ac proinde veræ humiliationis materiam in se semper agnoscit. Quæcunque vero bona in se sentit, ea Dei dona esse novit & indebita, in eumque finem à Deo ipsi tributa, ut ea in commune conferat, eosque juver, tueatur & foveat, pro vocatione sua, quibus præfectus est, aut quos Deus ipsi singulariter commendavit; ut pauperem, viduam, peregrinum, oppressum. Hæc est vera magnanimitas, quam pii Reges ac Principes, item Prophetæ & Apostoli in vita sua passim expresserunt, & nobis imitandam commendarunt.

*De Mo-
destia.*

Eadem est ratio & natura Modestiae, quam Aristoteles nonnunquam *σωφροσύνη* vocat, etsi cap. 4. eam proprio

proprio nomine carere afferat.

Differentia tantum in eo est, quod
silla circa honores magnos, hæc circa
niminores & mediocres versetur, eosque
ut oportet, & unde oportet appetat,
atque eo quo decet modo gerat, ac
proinde quæ antea dicta sunt, hic quo-
que καὶ ἀναλογίας pertinent.

Hujus extrema sunt in excessu am-
bitio, græce φιλοτιμία, in defectu ἀφι-
λοτιμία, seu honorum contemptus; quia
vero in excessu hic sæpe peccatur, ideo
ipsa virtus ἀφιλοτιμίας voce frequenter
appellatur.

Quæritur hic an honores appetere 1. Quæ-
liceat, aut quosvis oblatos recipere. *ftio.*
Resp. 1. Non quosvis licere appetere, sed
illos tantum, quibus gerendis te parem
& idoneum cognoscis, aut saltem à vi-
ris bonis & peritis idoneus judicaris.
sicuti Paulus i Timoth. 3. v. 1. ait eum
qui Episcopi munus desiderat, pulchrum
opus desiderare; deinde vero subjungit
conditiones quæ in futuro episcopo sunt
necessariæ. 2. Ut debito modo petan-
tur, non per aliorum calumnias, obtre-
stationes, aut largitiones, aut nimium
avide & immodeste; utque etiam re-
pulsam, si forte patienda sit, æquo ani-
mo

mo feras. 3. Finis præcipuus non sit pro-
pria utilitas aut honor, sed reipub. com-
modum, Ecclesiæ ædificatio, & Dei
gloria. Eadem quoque ratio suscep-
tio-
nis honorum, ab iis qui conferre pos-
sunt, oblatorum: nisi quod viri magni
sæpe etiam oblatos subterfugerint, do-
nec à Deo, Regibus, aut Rep. ad gra-
viora munera acceptanda quasi fuerint
coacti: imo & plane recusarint, si Deo
aut Ecclesiæ se in iis servire non posse
animadverterent, quemadmodum Da-
niel munus Satrapæ à Nebucadnezare
oblatum accepit, à Balthasare oblatum
recusavit.

De Mansuetudine & Clementia.

Virtutes antecedentes vitam publi-
cam ut plurimum respiciunt; quæ
sequuntur, in communi hominum con-
versatione magis locum habent. Ac
prima quidem versatur in iræ, & alio-
rum ex ira surgentium affectuum mo-
deratione. Vocatur autem hæc virtus
græce πεπόνης, Latine mansuetudo &
clementia: quæ tamen duo hac ratione
videntur distingui, quod Mansuetudo
iram in animo hærentem magis respi-
ciat, Clementia vindictam & pœnam
quam

quam homo ex ira inferre solet. item
quod Mansuetudo de privatis potius
dicitur, Clementia de principibus &
magistratibus.

Est ergo Mansuetudo, mediocritas
in affectu irascendi, qua non irascimur
nisi ut oportet, quibus oportet, & pro-
pter quæ oportet; hoc autem τὸ δέον
Aristoteles desinuit valde difficile esse
agnoscit, quia circa singularia fere ver-
fatur, ac proinde exiguum excessum
hic non usque adeo reprehendendum
judicat.

Officia hujus virtutis duo sunt, unum
internum, alterum externum.

Internum est iram cohibere ne ex-
surgat; aut si irascendum, non nisi ob
justas causas exsurgat, id est, adversus
vitia, aut ea impedimenta, quæ virtu-
tum actionibus, Dei gloriæ, tranquilli-
tati Reip. aut proximi nostri saluti ad-
versaria sunt; unde & non absurde ira
fortitudinis cos appellatur, & pro ra-
tione pugnare dicitur, adversus alias
perturbationes & concupiscentias. De-
inde & hoc est officium hujus virtutis,
ut iræ frenum injiciat ne modum ex-
cedat, aut rationem obfuscet, aut ultra
tempus justum duret.

G

Exter-

Externum officium est , diligenter providere , ne cuiquam injuriā aut pœnam injustam atque immoderatam ex ira inferamus , aut ab aliis læsi vindictam illicitam exerceamus aut appetamus. Et hoc est quod Apostolus monet, *Irascimini & nolite peccare.* Ephes. 4. 26. & Sapiens Proverb. 14. 29. *Tardus ad iram abundat intelligentia , præceps autem excitat stultitiam.*

Extremum, quod hic in excessu est, varia habet nomina , quia hujus vitii varii sunt gradus. 1. ὁργὴ, iracundia, eorum qui facile irascuntur & facile iram deponunt. 2. πινεότης , implacabilitas ; est iræ conceptæ continuatio , estque eorum quorum ira est δυσδιάλυτος , non facile solvit, sed tempore ut concoquatur opus habet. 3. εὐλεπτότης , sævitia , quæ est iræ continuatæ furor & gravitas , nec cessat nisi vindictâ exercitâ. huc quoque odium referri potest.

Adversus hoc extremum, præceptum notabile est , quod Athenodorus Philosophus Augusto dedit; ut si quando iram animo oboriri sentiret , non loqueretur , antequam omnes literas Alphabeti apud se revolvisset ; ut interea scilicet animi

animi impetus residere, & cum judicio responderi posset: & quod Ambrosius Imperatori Theodosio dedit, ut nullum mandatum Imperatoris, de pœna capitis alicui infligenda, exsecutioni mandaretur, nisi post 30. diem à mandato edito; ut interea, desæviente animi irati æstu, justitia mandatorum perpendi, & ipsa mandata si necesse esset revocari possent. *Qui enim ad pœnam accedit iratus, vix mediocritatem, qua hic requiritur, tenebit, ut recte Cicero notat.*

Alterum extremum in defectu est *ἀργυροία*, id est, nimia lenitas & indulgentia. quod extremum etiam vitari debet, in primis ab iis qui aliis præsunt, quia omnem disciplinam labefactat, & occasionem sceleribus multiplicandis præbet. Nam

*Oderunt peccare mali formidine
pœnae.*

Ideo & Eli punitus à Deo fuit quod adversus filiorum crima nimis lenem se præbuisset, & David multa mala in familia, & regno suo propterea est perpessus.

Quæritur hic an vindicta sit licita? Quæstiones.
Aristoteles etsi fateatur hominem man-

G 2 suetum

suetum non esse πυρηνὴν ἀλλὰ οὐγ-
γωμανικὴν, libentius ignoscere, quam
ulcisci aut punire; judicat tamen, non
propellere injuriam, aut perferre igno-
miniam petulanter illatam, quam τεγ-
μηλακτυόν vocat, esse servile. Sic & Ci-
cero sentit Offic.l.1. *Esse ulciscendi &*
puniendi tempus, imo se haud scire, an
satis sit eum, qui laceffierit, injuria sua
pœnitere, ut & ipse ne quid tale com-
mittat, & ceteri sint ad injuriam tar-
diores.

Plato tamen lib. I. de Rep. hic me-
lius sentit, vindictam esse illicitam, hoc
argumento. Quod eos in quos exerce-
tur pejores facit, illud non est proprium
virtutis; quia virtus eos in quos exerce-
tur bonos facit, non malos. Atqui omnis
vindicta illos in quos exercetur reddit
pejores. Vel enim meticulosos & igna-
vos reddit, vel eos denuo ad iram &
odium excitat. Inde concludit, ulcisci
non esse virtutis, sed vitii.

Hæc sententia Platonis cum divina
veritate consentit, cum hac tamen di-
stinctione, quod alia vindicta sit divina
& publica, alia humana & privata. Pu-
blica & divina Magistratus est, qui mi-
nister Dei est & ultor ad iram, ei qui
quod

quod malum est fecerit, Rom. 13. v. 4.
qui propterea non tantum juste potest,
sed etiam pro munericis ratione delin-
quentes coercere, & pro delictorum
gravitate punire debet. Nam nimia
clementia adversus pravos, est crudeli-
tas adversus bonos. Sed hic semper vi-
dendum, ut modus non excedatur, &
ut nihil quam bonum publicum respi-
ciatur.

Vindicta humana vel privata est,
quam privatus adversus privatum exer-
cit, vel persona publica ex affectu pri-
vato. Hæc à Deo est prohibita, tam in
veteri quam Novo Testamento; nisi
forte in extremo necessitatis casu, qui
vocatur inculpata tutela; cum quis al-
teri noxam infert, non ex odio aut af-
fectu privato adversus eum, sed ut vim
à se suisque amoliatur, nulla scilicet alia
vim evadendi ratione obvia. Sic Deus
concessit Exod. 22. ut, si fur de nocte in
ædes cuiusquam irrumpere conetur,
Patrifamilias eum liceat arcere, etiam
quando aliter non potest, cum ipsius
cæde. Sic Christus permisit discipulis
suis ut gladios in suo comitatu gere-
rent, quod sane non concessisset, si
omnis propria defensio esset illicita;

G 3 tametsi

zametsi Petrus deinde eo sit abusus , ac propterea à Christo reprehensus . Nam Magistratui etiam injuriam inferenti , privata authoritate per vim resisti non potest.

De Affabilitate.

TRes virtutes , quæ reliquæ sunt , præcipue spectant conversationem civilem in colloquiis & congressibus : affabilitas nempe , veracitas , & comitas .

Affabilitas seu humanitas , græce proprio nomine caret ; etsi alibi virum humanum σεμιλητικόν vocet Philosophus . Est autem virtus ὀμιλητική , qua in sermonibus , congressibus , & omni conversatione civili , nos faciles aut difficiles , blandos aut severos præbemus , prout decorum & honestas postularat .

Objetum ergo hujus virtutis proprium est illa sermonis & morum civilitas , quæ inter cives , & civium diversas conditiones ac gradus requiritur . Alio enim gestu sermone ac vultu conveniens Magistratus , alio parentes , alio liberi , alio servi , aliter agendum cum notis , aliter cum ignotis , aliter cum inferioribus , aliter cum superioribus . Cum superioribus modeste & blande . Sermonem

monem enim blandum & cor fidele
amat Rex, inquit sapiens, Proverb. 22.
II. cum inferioribus graviter & humani-
ter, cum æqualibus amice. Voluptatem
aut molestiam aliis affert, prout rei ne-
cessitas exigit. Quibus condelectari pul-
chrum non est, se aut ægre ferre, aut
saltem non condelectari, οὐλαβεψηδόν
tamen, id est verecunde & prudenter
ostendit: quemadmodum & sapiens
monet, Spernente proximum suum de-
mente, vir prudens surdum agit. Pro-
verb. II. vers. 12. Quibus delectari pul-
chrum & honestum est, iis modeste
quoque σωνδιεῖ) seu ex iis volunta-
tem se capere demonstrat.

Hæc virtus amicitiae valde est affi-
nis, eo que tantum ab illa differt, quod
amicitia cum singulari amore & affe-
ctu sit conjuncta, hæc vero virtus erga
omnes æqualiter se gerat.

Huic virtuti in excessu duo oppo-
nuntur, ἀρεσκεῖσθαι & κόλαχος. ἀρεσκεῖσθαι di-
citur blandus, qui in omnibus placere
& obsequi studet, tantum ut placeat, &
neminem offendat. κόλαχος vero, id est,
adulator & assentator, qui id quæstus
atque emolumenti causa facit. Differt
vero adulator à viro humano. I. quod

G 4 Adu-

Adulator non minus in re inhonesta quam honesta obsequatur, & assentetur. 2. quod in rebus frivolis & levibus magis quam in seriis & gravibus. Nam sicuti simia affectat gestus humanos externos & leviores, quia veros exprime-re non potest; ita nec adulator huma-nitatis veram formam, sed aliquam tantum ejus imaginem. 3. quamdiu emolumenti spes durat, assentatur & obsequitur adulator; ea si deficiat, etiam ipse deficit; vir vero vere humanus sibi perpetuo est similis.

In defectu opponitur *λοκολός* & *λοκεις*, morosus & contentiosus. Morosus in congressibus & alloquiis diffi-cilis est, & tetricus: Contentiosus, in consiliis, deliberationibus, & colloquiis eu'γέδης & perpetuus oblocutor. Moro-sitas autem hæc, si ex melancholico temperamento est, venia majore di-gna, & Medico potius quam Ethico opus habet.

De Veracitate.

SEcunda virtus ὀμηλητικὴ est veracitas, voce tamen generaliore, quemad-modum & Græce φιλαληθεία.. Est au-tem illa, rectus animi habitus, quo quis veri-

veritatem in vita & sermone suo con-
stanter refert.

Objectum ergo hujus virtutis est ve-
ritas, non Logica aut Metaphysica, sed
civilis & ad hominum vitam relata: nec
tamen quaelibet. Nam quæ in judiciis,
testimoniis, aut contractibus versatur,
illa proprie ad justitiam pertinet. Hic
vero consideratur veritas, prout in com-
muni conversatione spectari solet, &
opponitur fictioni in sermone & vitæ
forma.

Est ergo viri veracis officium, primo
in vita & sermone suo talem se gerere
sine fictione, aut dolo, qualis est, nec si-
mulare quæ ipsi non insunt, nec dissi-
mulare quæ ipsi insunt, nisi propter ju-
stas causas; inclinat tamen magis ad de-
fectum, quam ad excessum. *Nam cohi-
bet sermones suos vir sciens, & frigidus
est spiritu vir intelligens. Prov. 17. 27.*

Deinde in sermonibus suis verita-
tem ingenue & constanter proferre,
ubi proferenda est; silere vero ubi silen-
tio est opus, nunquam tamen men-
daciū eloqui.

Extremum in defectu est ἐγωεία,
dissimulatio; nempe quum quis dif-
fimulat aut negat sibi inesse quæ ta-

G 5 men.

154 DE VIRTUTIBVS

men manifesta in ipso sunt. quo etiam refertur versipellitas, quæ candori opponitur, quum scilicet aliud in lingua promptum, aliud in pectore occultum geritur, aut ex sermone alicujus nunquam colligi potest, quid in animo ipsius sit reconditum.

Objectio. At videtur esse viri humilis, virtutes quæ in se sunt minuere, in aliis vero augere, sicut Socrates facere solebat. Imo & Christiana charitas hoc videtur postulare, ut aliena vitia tegantur, & ex modestia alius alium se præstantiorem existimet, Philip. 2. vers. 3. Resp. modeste de se & nō supra id quod oportet sentire & loqui, virtutis esse fatemur, ut charitatis quoque judicio semper meliora sperare de aliis, proximique infirmitates silere & regere. Modo hæ conditiones diligenter observentur. 1. ut absit omne mendacium. 2. ut absit omnis hypocrisis; quæ aliud videri vult, quam loquitur, & dona quæ in se sunt, minuit, ut eo magis ab aliis laudentur & augeantur. 3. ut id fiat in bonos fines, quemadmodum Socrates videtur fecisse: nempe, ut redargueret fastum Philosophorum sui temporis, ipse se hoc unum scire professus est, quod

quod nihil scirer. Si vero aliquis vires suas minuat, aut in se esse dissimulet, quæ tamen insunt, ut officium patriæ aut amicis debitum fugiat, is à vera modestia recedit, & in vitium antea propositum recedit.

Alterum extremum in excessu est αλαζόνεα, arrogantia, & μαλαρία, id est, vanitas. Arrogantes sibi tribuunt & sumunt quæ non insunt, sive honoris adipiscendi causa, sive lucri; de quibus sapiens, *Velut vapores & ventus, quibus non adest pluvia*, est vir qui se jactat de dono falso. Proverb. 25. 14. Vani vero & nugaces inconstantes sunt in sermonibus suis, & vera ac falsa miscendi finem non faciunt, ut omnium rerum videantur consciî & periti, de quibus idem Sapiens. Eccles. 5. 7. *Vt multitudini somiorum vanitas, ita verbis multis.*

Quæstiones hic nonnullæ ab Ethicis moventur, quæ à nobis breviter sunt examinandæ.

I. Quæritur, an viro veraci fabulis aut ironiis uti liceat in sermone suo, quum à veritate manifesto discedant? Resp. si fabulæ narrentur ut res veræ, aut ironiis utamur ut fallamus, illicitæ sunt, & contra officium viri boni: sed si narien-

narrantur ut fabulæ, & ironiæ ut ironiæ
efferantur, tum plane illicitæ non
sunt, quia sub hujusmodi figuris & in-
volucris veritas efficacius exprimitur, &
persuadetur. Unde & sacra Scriptura iis
nonnunquam utitur, & cum sacra Scri-
ptura viri pii & graves.

2. Quæritur, An nunquam liceat
mentiri, ne quidem in bonos fines. Sunt
quidam etiam Christiani Philosophi qui
nonnulla mendacia, in primis quæ vo-
cant officiosa, licita esse volunt, quan-
do nempe quis in bonos fines menti-
tur, & ut proximo aut patriæ pro fit, aut
etiam religioni; quæ hodierni nonnulli
Pontificii pias fraudes appellant. Sed
nos, et si agnoscamus non omnia men-
dacia esse æque gravia, tamen pace alio-
rum, cum Augustino sentimus, omnia
plane esse illicita. Rationes vero hæ
sunt:

1. Quia omne mendacium pugnat
cum natura Dei, qui veritas est, & men-
tiri non potest. Ergo & cum ejus lege.

2. Quia repugnat præcepto nono
& multis generalibus præceptis, ut
Psal. 5. vers. 7. Proverb. 19. vers. 5. Ephes.
4. vers. 25. Iac. 3. vers. 14. &c.

At inquiunt, hic de testimonio &
menda-

mendacio agitur quo proximus læditur. Respondeo, cum lex generalis sit, nec hæc exceptio in Scriptura usquam occurrat, nobis quoque distinguere non licet.

3. Quia mendacium est ex Diabolo, qui pater est mendacii, & cum mendacium loquitur, ex seipso loquitur.
Ioan. 8. 44.

4. Mendacia officiosa expresse reprehenduntur. ut Gen. 18. vers. 15. *Sara mentiens negabat se risisse, quia timebat*, & tamen reprehensa propterea fuit ab Angelo, cum ex metu & pudore solo sine cuiusquam noxa, ut reprehensionem evaderet, mentita esset.

Imo ipse Aristoteles sine exceptione hic mendacium condemnat, & viri boni proprium esse dicit, φιλαληθῆ, καὶ ἀληθοῦτον εἶναι.

1. Object. At per mendacia sæpe magna bona procurantur, aut mala avertuntur. Respond. Regula immota est quam Apostolus adfert, Rom. 3. vers. 8. non licet facere mala ut eveniant bona.

2. Object. At in S. Scripturis laudantur quidam, qui ob bonos fines mentiti sunt. Respond. Fateor quidem perso-

nas

158 DE VIRTUTIBVS

nas laudari, & eventus bonos; sed propter ea modus quo eos procurarunt, non laudatur. Est ergo fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Deinde non vivitur exemplis solis, sed legibus.

3. Quæritur, an jocosa mendacia sint licita. Respons. Nequaquam: nam si officiosa non sint licita, ut probatum: Ergo multo minus jocosa. Deinde Scriptura omnam μωρολογίαν & stultum sermonem condemnat. Ephes. 5. vers. 4. & omne verbum ἀργεῖν, otiosum. Matth. 12. vers. 36. Ergo multo magis mendacium.

4. Quæritur: An ob bonas causas dissimulare veritatem nunquam liceat. Respond. Id quandoque licere: Velut periculum manifestum vitetur, exemplo Samuelis. 1 Sam. 16. qui cum ad Davidem usque ad Bethlehemum proficeretur, ex iussu ipsius Dei prætexuit aliam causam, & tamen veram, nempe celebrationem publici convivii & sacrificii in eadem urbe: Velut aliquod bonum Patriæ, aut aliis procuretur; quemadmodum legimus Davidem astu fuisse usum in bello adversus hostes suos; & Principes pios, insidiis locatis,

tatis, atque aliis stratagematis etiam ex Dei mandato fuisse usos, ut victorias ab hostibus reportarent; & Regina Esther Hamanem cum Rege ad convivium vocavit, dissimulata vera ejus causa, ut populum suum liberaret. Imo vero & Salomon testatur, Proverb. 25. vers. 11. Quod fatuus totum suum spiritum simul exhalat, Sapiens vero eum reprimit pene. Hac tamen cautione id facendum, ne 1. id fiat per mendacia. 2. cum proximi nostri noxa aut scando. 3. violatione juris gentium. 4. læsione divinæ gloriæ, aut detimento Ecclesiæ; ubi pietatis, aut veritatis professio à nobis juste exigitur.

De Comitate.

Vltima virtus, quæ conversationem externam in civitate spectat, vocatur comitas, festivitas, & urbanitas. Aristoteles hac virtute præditum επιδέξιος, χαρίστης, & διτελεπλος vocat. Apostolus vero Paulus, Ephes. 5. vers. 4. διτελεπλος in Christiano condemnat. Quia tamen omnem urbanitatem Scriptura non condemnat, sed aliquam tantum, nos paucis illam ex calimitabimus.

Est

Est ergo comitas seu urbanitas, animi mediocritas, qua in facetiis & jocis observatur, quod honestum est ac decorum.

Licere enim viro gravi nonnunquam frontem exporrigere, atque animum in facetias & jocos liberales solvere, siue ipse proferat, sive ab aliis prolatos audiat, patet exemplo Isaaci, Gen. 26. v. 8. ubi ludit cum Rebecca uxore sua: Eliæ, I Reg. 19. 18. qui jocose ludificatus est Bahalitas: Salomonis qui Prov. 17. 22. testatur, *Quod animus latus facit medicinam corpori, sed spiritus contritus exsiccat ossa.* Attamen non nisi sub his conditionibus:

1. Ut diligenter perpendatur, quid deceat personam & munus ejus qui jocos usurpat, & ejus apud quos usurpan-
tur; multa enim decent juvenes, quæ non decent senes, & contra; multa li-
cent inter familiares, qnæ inter alie-
nos, & in dignitate constitutos non li-
cent.

2. Ut diligens habeatur ratio tem-
porum & negotiorum, in quibus occu-
pamur; nam jocari aut ludere in rebus
tristibus, aut cum deliberatur de nego-
tiis seriis, & salutem communem spe-
ctanti-

Etantibus, aut cum vacatur divino cultui, omnino præter decorum est.

3. Diligenter vitanda sunt omnia petulantia, obſcena, profana, contumeliosa, aut abusum sacrarum dictiōnum atque historiarum præſe ferentia.

4. Maxime vero conveniunt viro honesto illijoci, qui eruditionem conjunctā habent, quales sunt Apophthegmata elegantia, historiæ jucundæ, &c. acute & festive dicta, & similia. Atque ideo hic quoque sapiens testatur: *Quod animus prudentis quarat scientiam, os autē stolidorum pascatur stultitia.* Prov.

15. 14.

Extrema quæ cum hac virtute pugnant, sunt, in excessu βωμαλοχία scurrilitas, cum aut nimium affectantur facetiæ, aut etiam in rebus in honestis & fesceninis; aut cum intempestive & indecore usurpantur. Qui vero ex hujusmodi virtuē genere sibi victum, aut utilitatem quærunt, parasiti vocantur. In defeitu ἀρειότης, rusticitas, eorum, qui omni conversatione & quo vis tempore quosvis etiam honestos aversantur. Scurrilitas tamen hic magis à medio recedit, quam Rusticitas.

De

*De quibusdam affectibus virtuti
affinibus.*

HÆ sunt virtutes perfectæ, de quibus Aristoteles lib. 3. & 4. Ethicorum agit, quibus subjungit affectus quosdam, qui inter duo extrema quoque versantur, & cum virtute magnam cognitionem habent, etsi proprie dicta virtus non sunt. Est autem ea Verecundia, & Nemesis.

*De vere-
cundia.*

Verecundia græce *αἰδως*, est laudabilis affectus animi, quo timemus decus aut infamiam ex aliqua actione turpi orituram, aut erubescimus eandem, si aliquid forte indecens aut turpe commissum sit.

Verecundia valde similis est timori, circa quem fortitudo versatur, nisi quod timor est ex periculis, verecundia ex facto turpi, timor fere pallorem, verecundia ruborem producit.

Quia vero verecundiæ objectum est, metus infamiæ aut reprehensionis, ex actione turpi oriens, hinc colligitur primo, eam non esse virtutem per se, sed per accidens; quia à peccando avertit, & pœnitentiæ, post turpe aliquod commissum, est signum; Deinde non esse

esse cuiusvis ætatis, sed proprie juvēnum qui affectibus aguntur; nam virtute præditus non verecundatur, quia nihil turpe committit, aut à se commissum iri debet metuere: nemo enim nisi volens male agit, quod vir bonus velle non potest. Hoc autem de virtute quidem perfecta est verum, de ea tamen, quæ in hac vita obtinetur, minime, quia etiam vir probus à peccato præveniri, & pudendum quid ac pœnitendum admittere potest. Interim tamen non male dicitur hic ab Aristotele, hanc virtutem esse maxime laudabilem in adolescentibus, quare & à Socrate, virtutis purpura appellata fuit.

Huic opponitur *νεικεράσης*, in defētu, id est, nimium pavidus, qui omnia veretur, & ad quosvis hominum congressus pavescit. In excessu vero *αναιχυντός*, seu impudens, qui nempe frontem ita perfricuit, ut nullam infamiam metuat, & hic excessus magis à medio recedit, & est incurabilior: Iuxta illud usitatum;

Cui pudor periit, is periit antequam periit.

Secundus affectus laudabilis est Ne- *De Ne-*
mesis, quæ est justa quædam indigna- *mesi.*
tio,

tio, & dolor mediocris conceptus apud animum viri boni, ob honores aut commoda tributa indignis & sceleratis, aut negata iis qui virtute prædicti, iisque digniores sunt. De hac tamen observandum est præceptum Sapientis, Prov. 24.

19. Ne accendaris ira propter maleficos, nec invideas improbis. nam non erit finis mali, sed lucerna improborum extinguetur.

Extrema in hoc affectu sunt invidia, φθόνος, quæ omnium felicitatibus indolescit, & ἐπιχαράχαλα, malignitas, quæ ob mala aliis evenientia gaudet & voluptatem capit.

Hæc ergo sunt media & extrema, quæ in affectibus ab Aristotele hic constituuntur. Unum vero ab eodem c. 6. l. 2. observatum, à nobis hic adnotandum est. Extremorum scilicet non esse media, nec mediorum esse extrema; id est, sicuti fortitudo, temperantia, mansuetudo, &c. nunquam mala esse potest: sic vitia illis contraria nunquam fieri bona; ac si nempe aliquando, & cum modo liceret ineibriari, aut scortari, aut invidere, &c. Nam hæc extrema sunt vitia; & quocunque modo aguntur aut modificantur, semper extrema

ostrema ac vitia manent. Absurdum est ergo , & cum omni ratione pugnans, quod Mitio ille apud Terentium asserit, non esse peccatum in Adolescenti escortari , potare , &c. si illud caute & cum modo faciat.

De Iustitia.

Postrema virtus moralis , de qua Aristoteles toto libro 5. agit , est Iustitia, Græce δικαιοσύνη , cuius contrarium est αδίκια seu injustitia.

Iustitia est duplex : universalis , aut particularis.

Iustitia universalis omnes virtutes complectitur , juxta versiculum antiquum , εν τῇ δικαιοσύνῃ συλληφθεῖ πᾶσος δέρτι' οἱ. Iustitia in se virtutes continet omnes.

Iustitia hæc à virtute differt sola relatione , quia virtus per se consideratur & possidentis perfectionem respicit , animique ac affectuum omnium in eo remam dispositionem. Iustitia vero relate in usu & fructu , quem in republica erga alios præstat.

Quapropter Iustitia merito omnium virtutum præstantissima censetur ; quia multi in rebus propriis virtute uti possunt,

sunt, qui in rebus alienis & communib-
bus non possunt. Vnde & Biantis illud
à Philosopho laudatur, $\delta\chi\eta \tau \alpha\delta\eta\gamma$
 $\delta\epsilon\zeta\delta$, *Magistratus ostendet virum.* quo-
niam magistratus functio requirit, ut
aliis atque in commune omnibus con-
sulatur.

Definitur autem hæc justitia, proba
voluntatis affectio, qua apti & prompti
sumus ad res justas constanter agendas.

Res justæ vocantur hic $\tau\alpha\mu\mu\gamma\gamma$, id
est, jus ipsum, secundum quod in rep.
vivendum & agendum est. Proprium
enim Legislatorum est per omnia offi-
ciorum & virtutum genera definire
quid æquum, justum, & utile sit, tam ci-
vitati integræ, quam singulis ejus mem-
bris.

Dividit autem Philosophus cap. 7. hoc
jus, in φυσικὸν & νομικὸν, naturale & le-
gitimum. Naturale vocat, quod ubique
eandem habet vim, & non quia sic vi-
detur aut non videtur. Legitimum ve-
ro, quod initio quidem liberum est,
postquam vero constitutum fuit, obser-
vari necesse est. Ut minâ captivum esse
redimendum, hac aut illa ulna esse me-
tiendum. Primum ubique est idem; se-
cundum pro ingeniorum, locorum,
&

& statuum differentiis variare solet.

Objectio. At omne jus videtur tantum esse legitimū, quia quod naturale est, immutabile est; sicuti ignis tam apud Persas, quam apud Græcos urit: Leges vero inter diversas gentes variables sunt. Respondet Philosophus, primo Majorem non esse universalem, quia quædam naturalia per pravam consuetudinem mutari possunt, ut dextra manus natura robustior est sinistra: prava tamen consuetudo in nonnullis contrarium efficit. Deinde ad Minorem: Natura non æstimanda est ex quorundam & paucorum, sed ex plurimorum & optimorum judicio. Plurimi autem & meliores in leges naturales omnes, saltem quoad substantiam, consentiunt, et si in circumstantiis possit esse nonnulla varietas.

Huic justitiæ universali opponitur injustitia universalis, quæ ab Aristotele ~~Διορθωσις~~ vocatur, quando nempe adversus legum præscripta flagitiose agitur & vivitur.

Ad justitiam universalem pertinet æquitas: Græce ἴσησις, tanquam ejus quædam nobilior pars, de qua Aristot. cap. 10.

Est

Est vero æquitas, emendatio quædam legis, vel potius defectum qui in lege sunt, & opponitur τῷ ἀκεραιότητι, id est, summo juri.

Sumitur autem τὸ ἀκεραιότητον seu summum jus duobus modis: Vel pro interpretatione calumniosa legum; cuiusmodi est, quod refert Strabo, cum Thraces aliquot dierum pacti inducias noctu populabantur Bœotorum agros: aut cum Popilius in conditionibus pacis factæ cum Antiocho scripsisset, dimidium navium Romanos Antiocho relikturos esse; postea naves diffecuit; quarum dimidiam partem Antiocho reddidit, reliquum incendit. Hæc est calumniosa interpretatio juris, quia verba præter communem hominum consuetudinem capiuntur. Tales sunt, reservationes mentales Iesuiticæ atque Anabaptisticæ, ab ethnicis ipsis tanquam injustæ condemnatae.

Alter modus est magis proprius datus, cum summum jus sumitur pro rigida juris interpretatione aut exactione, quæ etsi simpliciter injusta non est, tamen mitigatio est laudabilior, idque vel in casibus legis expressis, vel à lege omisis locum habet.

In

In casibus lege omissis, Iudex tanquam viva lex, ex æquo & bono judicat, quia recta ratio hic instar legis est, & si id ipsum fuisset legislatori propositum, eodem modo quoque de eo legem tulisset.

In casibus lege expressis; cum non ad literam lege expressam, sed mentem legislatoris attenditur. Quum enim lex generalis sit, aut saltem de eo, quod ut plurimum sit; singulares circumstantiæ factum lege mandatum aut vetitum multum variare possunt: quæ à judice expendi omnes debent, & tamen in lege omnes exprimi non possunt.

Est ergo bonum & æquum, secundum Aristotelem, *Emendatio legis ea parte qua deficit, quia universaliter lata est.* Exempli causa; Lex lata est ne quisquam peregrinus murum urbis ascendat: peregrinus ascendit murum, & strenue cum civibus urbem adversus hostem defendit. si summum jus spectetur, poenam meretur: si æquum & bonum, potius præmium.

Inter Christianos vero ἀπόστολος, seu æquitas hæc etiam latius se extendit, nempe quicquid tibi non vis fieri, alteri ne feceris: *& diliges proximum tuum*

H sicut

170 DE VIRTUTIBVS
sicut te ipsum. Prius gentilibus quoque
usurpatum , posterius Christianis est
proprium.

Hæc ab Aristotele diversis locis libri
quinti tradita spectant justitiam univer-
salem, quæ sequitur particularis.

*De Iusti-
tia parti-
culari.*

Iustitia particularis certam atque à
superioribus virtutibus distinctam ju-
stitiæ speciem constituit.

*De inju-
ria.*

Probat id Philosophus ex ejus oppo-
sito, quod est $\omega\lambda\epsilon\sigma\omega\zeta\alpha$, seu cupido plus
quam justum est habendi. cuius vocis
vim Latini per vocem *inuria* fere ex-
primunt. et si ènìm ea vox latius quo-
que pro quovis injustitiæ genere sumi
possit, speciatim tamen pro eo genere
injustitiæ fere sumitur, quod cum alte-
rius damno ac noxa conjunctum est.

Id hinc quoque liquet , quod omnia
reliqua injustitiæ genera adversus ali-
quam aliam virtutem pugnant : sola ve-
ro $\omega\lambda\epsilon\sigma\omega\zeta\alpha$ cum nulla alia virtute spe-
ciali pugnat , quam cum justitia. Unde
Philosophus evidenter concludit , hanc
virtutem cum qua $\omega\lambda\epsilon\sigma\omega\zeta\alpha$ & *inuria*
pugnat, esse justitiam specialiter dictam.

*Definitio
justitia
particu-
laris.*

Definitur vero , constans voluntas
suum cuique tribuendi.

Versatur hæc virtus inter plus & mi-
nus,

nus, tanquam extrema. Et medium ejus est τὸ ἴσον, seu æqualitas illa, quæ inter cives pro ratione meriti cujusque, aut inter res pro ratione pretii cujusque obtainere debet. Nam qui plus boni usurpat, quam par est, aut minus onerum vel mali fert, quam oportet, is πλεονέκτης & injurius est; quia minus mali aut damni ferre, quam oportet, est plus boni retinere, quam oportet; quum inter duo mala aut damna minus malum boni rationem habeat. Unde & querelæ & pugnæ inter cives nasci solent, cum æqualibus æqualia non tribuuntur, aut hic plus mali atque onerum, ille minus quam par est in se admittit aut fert.

Iustitia hæc particularis est duplex: vel distributiva, Græce Διαρεμητικὴ: vel commutativa, Græce Διαλακτικὴ, & διορθωτικὴ, id est, correctiva.

Iustitia distributiva versatur in recta distributione munierum, item præmiorum & poenarum in civitate, sine qua iustitiæ parte vincula civitatum dissolvuntur. Nam quemadmodum leges sunt nervi civitatum, sic præmia tributa bonis, & poenæ malis, sunt nervi & firmamenta legum.

*De Ius-
titia
distribu-
tiva.*

In hac justitiæ parte τὸν ίππον, seu æqualitas non debet exigi ad proportionem Arithmeticam, sed ad proportionem Geometricam. de quarum differentia libro secundo actum, cum de virtutis forma egimus. Proportio autem geometrica est duplex: nempe conjuncta aut disjuncta. Conjuncta dicitur, in qua tantum tres sunt termini: nempe sicut se habent duo ad quatuor, sic se habent quatuor ad octo. Disjuncta vero est, in qua sunt quatuor termini expressi: ut, sicut se habent duo ad quatuor, sic se habent tria ad sex. Utrumque enim est in proportione dupla.

Disjuncta hæc proportio hic propriam locam habet. Nam *primo* in distributione munierum, qualis est proportio muneris ad munus, talis debet esse proportio personæ ad personam, cui munera tribuuntur: Bellicum ad personam bellicosam, Scholasticum ad personam Scholasticam; idque diverso gradu & respectu, prout munieris gravitas, & personæ dignitas inter se respondent; & sic de cæteris. Atque hæc personarum cum muniberibus proportio, est fundamentum recti status Rerumpubl.

Sic in distributione præmiorum aliorum,

rum, puta gloriae, spoliorum, agrorum, pecuniarum communium, quae ratio est personae ad personam, & meriti ad meritum, eadem quoque esse debet rerum ad res. Sic Triumphus debetur Consuli, justo exercitu hostili devicto; Ovatio Praetori, minori victoria potito. Agamemnoni prerogativa in spoliorum distributione debebat quidem propter dignitatis *τιμης*, ita tamen ut Achilles plurimum meritus non defraudaretur suo. Qui servavit Principem, alio praemio afficitur quam qui civem; alio ingenuus, si Patriae productionem detexit, alio servus. Atque ita deinceps.

Difficultas hic nonnulla ex textu Philosophi oritur, de poenis, quae propter delicta infliguntur, an eae ad commutativam an distributivam justitiam pertineant; ac proinde an proportio Geometrica an Arithmetica in iis servari debeat. Et sane videtur Philosophus eas ad commutativam referre, cum delicta illa ad contractus clandestinos & violentos refert, & exempli causa asserit, perinde esse, utrum vir probus hominem pravum defraudet & ipsius uxorem adulteret, an vero contra vir pra-

H 3 VUS

vus hominem probum , aut uxorem
hominis probi.

In contrariam vero partem faciunt sequentia. 1. Quod ad eandem speciem virtutis referri debeant pœnæ , ad quam referuntur præmia. 2. Quod cap. 5. difserre adversus talionem Pythagoricam Philosophus disputet ; & pro arguento affert, quod qui pulsat personam quæ cum magistratu est , repercussione liber esse non potest, sed gravius puniendus. 3. Quia nec jura humana nec divina in delictis hujusmodi omnibus, æqualem pœnam ad proportionē Arithmeticam constituerunt. Alia enim pœna afficitur qui Regem lædit, alia qui subditum. Alia pœna Deus in Vet. Test. affici jussit eum qui Principi in populo male diceret; alia eum qui privato. Alia qui filiam Sacerdotis violasset; alia qui communis civis. Alia pœna , qui hominem furatus esset , alia qui pecus ; alia qui pecuniam interdicti rapuisset , alia qui profanam.

Ut ergo Philosophus hic secum & cum veritate conciliari possit , dicendum est, alia delicta esse privata , alia publica. Delictorum publicorum vindicta omnino ad distributivam justitiam

tiam spectat, & secundum proportionem geometricam exercenda. David enim ignominiam legatis suis ab Ammonitis illatam publico bello ultus est, non tantum reciproca ignominia. 2. Samuel. 10. Et in Perduellionis crimen voluntas pro facto habetur: in reliquis non item.

Delicta vero privata ad utrumque justitiae genus referenda videntur. Quatenus enim publicum magis aut minus laedunt, eatenus ad justitiam distributivam & proportionem Geometricam exigenda: quatenus vero inter privatos consistunt, & priyatam tantum noxam inferunt, eatenus ad commutativam justitiae speciem, & proportionem Arithmeticam sunt referenda, ut ita & privatis, & Reip. simul satisfiat. Exempla ab ipso Philosopho allata hanc distinctionem innuunt. Nam qui personam in magistratu constitutam percutit, gravius in publicum peccat, ac proinde gravius puniendus; quem contra qui adulteratur sive sit uxor viri probi sive improbi, & qui defraudat alium sive probum sive improbum, eandem noxam publico, & privatam injuriam æqualem inferat, ac proin-

H 4 de

de æqualem pœnam mereatur.

*De justitia
com-
muta-
tiva.*

Iustitia commutativa seu correctiva proprie versatur in recta institutione commerciorum & contractuum, qui inter cives exerceri solent.

Contractus illi à Philosopho statuuntur duorum generum: nempe voluntarii, & involuntarii. Voluntarii sunt, quos voluntas antecedit. Quales sunt venditio, emptio, mutuum, fidejussio, commodatum, depositum, locatio, conductio.

Involuntarii sunt vel clandestini, vel violenti. *Clandestini*, ut furtum, adulterium, beneficium, lenocinium, servorum seductio, dolosa cædes, falsum testimonium. *Violenti*, ut verbera, vincula, mors, rapina, mutilatio, convictionem, contumelia.

Horum contractuum primi propriæ contractus sunt, quia ex utriusque partis consensu fiunt, ac proinde propriæ justitiam commutativam spectant; reliqui analogice tantum & secundum quandam similitudinem, quatenus cum damno & lucro alterius, & privata injuria, ex qua voluptas capit & pœna redditur, conjuncti sunt, ut supra dictum. Nam qui injuriam inferunt, lucrum;

erum; qui patiuntur injuriam, damnum accipere similitudine quadam dicuntur. In hac justitia permutativa, servanda est proportio Arithmeticā, quae æqualitatem rerum simpliciter spectat. Nam in rerum permutatione res per se æstimandæ sunt citra personarum respectum.

Atque ideo, si quis hic injuriam est passus, judicem adit, qui propterea $\delta\chi\rho\varsigma\eta\varsigma$ græce, quasi $\delta\chi\rho\varsigma\eta\varsigma$, id est, æqualiter dividens, item $\mu\epsilon\sigma\delta\iota\varsigma$ vocatur, quia se medium interponit. Ut cui plus quam oportet accessit, id ab eo dematur & alteri reddatur. Atque ita $\pi\eta\zeta\eta\eta$ seu æqualitas reducatur. Sicuti qui duas lineas, quarum una altera est longior, æquare vult, uni detrahere debet, quod alteri apponat.

Quia vero in rerum permutatione res non sunt ejusdem & æqualis pretii, ideo nummus inventus est, cuius beneficio rerum pretia inter se comparari possint, & per sui multiplicationem aut detractionem ad æqualitatem reduci. Ut quia medimus tritici pluris valet quam calceus; & rusticus calceo, calcearius tritico opus habet: idcirco triticum & calceus cum nummo com-

H 5 paran-

patantur, atque ita ad certam analogiam ipsorum pretia reducuntur; ut vel permutatio analogia institui possit, vel nummus rei permundæ vicarius succedat.

Quæstiones, quæ hic moventur, hæ fere sunt: Primo quæritur, utrum lex talionis quæ græce τὸ αὐνπνονδος vocatur sit justa? Pythagoræi affirmabant, simpliciter justum esse, ut quæ quis fecit, eadem patiatur & ipse. Sed certum est legē talionis nec semper justam nec semper injustam esse. Nam primo hoc nunquam justum est in criminibus, quæ meræ pœnæ rationem habere non possunt. ut si quis adulterium cum alterius uxore commisit, non ideo adulterium cum stupratoris uxore permitti potest. Deinde ne quidem in aliis delictis, quæ meræ pœnæ rationem subire possunt, id semper est justum; ut si quis percussit magistratum, sola percussione simili per judicem puniendus non est, ut antea visum. Tertio multum refert utrum quis sponte an ex ignorantia alteri injuriam intulerit, quarum circumstantiarum rationem judex habere debet, ut jus rectum exerceatur. Deus tamen jus Talionis in homicidio atque homi-

homicidii gradibus in sua Republica instituit, & fere in omnibus recte constitutis Rebus pub. usurpatur: ac proinde & hoc justum esse, extra omnem controversiam est; modo circumstantiae ipsæ facti inter se convenient, sicuti antea est dictum, & non à privatis in privatos, sed à magistratu in delinquentes exerceatur.

Secundo quæritur, An quicunque injuriam alteri facit, injustus sit? Respondebat Aristoteles, non semper esse injustum qui injuriam facit, quia ut quis dicitur injustus requiritur, ut ex habitu id faciat & ex electione, non ex ignorantia aut animi perturbatione aut coactione.

Tertio quæritur à Philosopho, an jus herile, paternum, & maritale, sit vere jus? Respondet, non esse vere jus, sed tantum secundum quandam similitudinem; quia verum jus est inter æquales tantum & liberos, adeoque reciprocum, quibus sola Lex & non alterius voluntas dominatur. Deinde quia nemo in sua membra proprie jus habet, aut in res suas est injurius: filius autem est portio quædam patris sui, donec ab eo per emancipationem est separatus. Ser-

vus

vus vero est vivum domini instrumentum. Inter uxorem tamen & maritum major æqualitas est, ac proinde & jus inter eos magis, quam inter filium aut servum versatur: jus autem non civile, sed cœconomicum. Hæc videntur λεπτολόγια à Philosopho dici, quia quum jus maritale, paternum, & herile certis etiam legibus divinis & humanis adstringatur, non minus inter eos jus & injuriam versari negandum est, quam inter magistratum legitimum & subditos, ubi æqualitas personarum non est, nec jus per omnia reciprocum.

Quarto queritur, an quis volens injuriam pati possit? Et respondetur, quod accuratius loquendo nemo volens injuriam patiatur, quemadmodum nemmo invitus injuriam facit: nam injuria habitum, habitus electionem presupponit. Per accidens tamen fieri potest, ut quis injuriam volens ac lubens ferat, quando nempe minorem injuriam admittit, ut majorem evadat: sicuti viator volens permittit se spoliari à validiore latrone, ne vitam amittat. Sed tum injuria habet rationem alicujus boni.

Quinto queritur, an quispiam sibi ipsi inju-

injuriam facere possit. Et respondetur, id fieri non posse, quia volenti non fit injuria, & quia in injuria uni decedit quod alteri accedit, quæ duo simul in eundem hominem non cadunt: item, quia nemo sibi injuriæ species infert. Nemo enim res suas furatur, aut suam uxorem adulterat, nec videtur conveniens ut unus & idem sit agens & patiens.

Objicitur tamen: Quid si quis in rerum communium distributione minorrem debito portionem sibi retineat, se ipsum defraudet, ac proinde injuriam sibi ipsi faciat? Sed respondetur, eum qui hoc ex certo consilio facit non inferre sibi injuriam, quia portionem neglectam cum meliori commutat, atque honestatis ac benignitatis laudem inde reportat: si quis vero id ex ignavia quadam, animi simplicitate, aut metu faciat, is damno quidem sese afficit, non tamen injuria, propter causas supradictas.

Secundo objicitur, quod, qui seipsum occidit, sibi ipsi injuriam inferat, quia contra leges id facit. Respondetur à Philosopho, hunc quidem injuste facere, non tamen injuriam sibi inferre, sed potius Reipublicæ, ideoque & à Repu-

Repu-

Republica post mortem puniri.

Christiane tamen loquendo, is sibi quoque injuriam facit, non tantum quia contra legem naturæ sibi noxam infert, sed etiam quia animæ suæ velit nolit nocet. Nec vero illud cum ratione pugnat, ut quis diverso respectu & volens patiatur & nolens.

Quaritur denique, injuriamne pati, an injuriam infere sit majus malum? Et respondet Philosophus, utrumque esse malum, φαῦλον. quia qui injuriam patitur, minus habet; qui infert, plus habet quam par est: virtus vero est in medio, sicut sanitas in medicina. Interim tamen recte asserit, pejus esse injuriam facere quam pati. quia qui injuriam infert, malitiosus est & odiosus: injuriam vero pati sine malitia & injustitia quis potest: per accidens tamen fieri, ut quis patiendo injuriam, majoris mali causa sit, quam inferendo: nempe propter grande aliquid malum, quod ex ejusmodi injuriæ perpetuione nasci potest. quemadmodum licet Pleuritis sit majus malum quam afflictio crutis, tamen per accidens hoc illo majus fieri potest. ut si quis in bello ex afflictio crure tardatus, ab hoste occidatur.

Hæc

Hæc responsio Philosophi excusari potest, si per τὸ φαῦλον, cū dicit utrumque esse malum, intelligatur malum non turpe, sed triste. Nam certum est omnem injuriæ perpessionem non esse malum turpe. Imo vero in Martyribus & vere Christianis ea maxima est virtus, & supra captum hominis naturalis.

Fatendum tamen & hoc cum Philosopho, injuriam pati non semper esse licitum. nempe si per injuriā inferatur malum turpe, quod à te amoliri potes: quemadmodum virginī honestæ potius moriendum, quam stuprum patiendum. In malis vero tristibus semper quoq; injuria ferenda non est. Nam magistratui ideo à Deo est concessus gladius, ut publicam injuriā à se & subditis avertat: & privatis eadem, ubi per justa media id fieri potest, à se & suis est arcenda. nunquam tamen per iusta media, aut ex privatæ vindictæ cupidine id licet. Matth. 5. vers. 39. & 44.

Hæc à Philosopho toto libro quinto fere tractantur: in quibus, ut observavimus, multa laudabiliter de utraque justitiæ specie sunt adnotata. Cæcitas vero hominis naturalis hic deploranda, quod

quod nullam plane mentionem fecerit ejus juris, quod Deo à nobis debetur: cum tamen illud sit præcipuum, & in civitate recte constituta præ cæteris colendum.

De Virtutibus intellectus.

HAec tenus de virtute, quæ sedem habet in voluntate & affectibus, dictum est. Sequuntur jam virtutes, quæ ab Aristotele in intellectu collocantur. Piores propriæ ἀρχαὶ, id est, morales, posteriores ἀλγονταὶ, id est, intellectivæ dicuntur.

*Defa-
culty-
bus in-
tellectus,
horum-
que vir-
tutum
subjecto.*

De hisce vero virtutibus breviter tantum agemus; quia accuratiorem earum explicationem Logici & Metaphysici sibi vendicant. hic de iis tantum tractatur, quatenus τὸ δέδος λόγων, id est, rectam illam rationem, quæ virtutum aliarum directrix est, nobis clarius proponunt, & quatenus beatitudinis ea pars, quæ contemplativa dicitur, in iis continetur.

Quærenda est autem ea recta ratio in mente seu intellectu. cuius duæ sunt partes, vel facultates. Prima vocatur à Philosopho ἐπιστημονικὴ, id est, cognitiva; altera λογιστικὴ & βελούδινη, id est, ratio-

ratiocinativa seu consultativa. Prima apprehendit res necessarias æternas, & quæ aliter se habere non possunt: Alteras contingentes humanas & quæ variationem subeunt. Nemo enim de rebus necessariis aut præteritis consulat, nec de rebus quæ sub humanam potentiam non cadunt. Utriusque facultatis objectum est veritas: sed primæ, veritas simplex & contemplativa: secundæ, veritas activa; id est, quæ respectum habet ad bonitatem vel malitiam in appetitu atque actionibus humanis.

Quicquid ergo in hisce duabus facultatibus rectum est, & bonum, id recta ratio & virtus ejus vocatur; quod ab hac rectitudine decedit, rationis defectus aut depravatio.

Numerantur autem à Philosopho quinque diversi habitus, secundum quos omnis recta ratio operatur, & per affirmationem aut negationem veritatem contemplativam aut activam enunciat.

Horum 1. est ἐπιστήμη, id est, scientia. 2. est τέχνη, id est, ars. 3. Φρόνος, id est, prudentia. 4. ψευδη, seu intellectus. 5. σοφία, id est, sapientia.

Quorum primus & quartus potissimum in prima facultate intellectus secundem

dem habent; duo sequentes in facultate λογιστικῆ, seu βαλευτικῆ: sapientia vero in utraque; quemadmodum ex ipsorum definitionibus & proprietatibus liquebit.

Præter hos quinque habitus est in mente τὸ λόγιον; conjectura, & δόξα, opinio. sed hic eorum ratio non habetur; quia utrum verum aut falsum per hæc enuncietur, ambiguum est: ac proinde ea nec certa contemplandi aut agendi principia sunt.

De scien-

tia. Prima ergo virtus mentis est *scien-*

tia, quæ definitur, εἶδος λόγικης, hoc

est, *habitus demonstrativus*.

Objectum *scientiæ* sunt res necessariae æternæ, & quæ se aliter habere non possunt. Nam tum deum opinamur nos scire, cum judicamus illud, quod scimus, aliter se habere non posse, quam comprehendimus.

Quia vero quod scitur etiam doceri potest, hinc manifestum est scientiam ex demonstratione nasci; sive demonstratio illa sit ab universalibus ad specialia, quæ *syllogismus* vocatur; sive à singularibus & specialibus ad universalia, quæ *inductio* appellatur.

De Arte.

Secunda virtus mentis est *ars*, Græce τέχνη,

τέχνη, quæ definitur εἰς μετὰ λόγον ἀληθῆς ποιησίαν, habitus cum rectaratione effectivus. Objectum enim artis sunt res quæ effici atque extra efficientem produci possunt: ac proinde quæ esse possunt aut non possunt, sicut ab Architecto domus. Ideoque ars nec in iis quæ necessaria sunt, nec quæ ex natura sunt, locum habet. Differt vero effectio ab actione, quia effectio semper est aliis finis, actionis vero η αὐτογένεια, id est, bene agere, est ipse finis.

Huic opponitur *ἀρεχτία*, id est, inartificialitas, quæ est habitus cum falsa ratione effectivus.

Tertia virtus mentis & cujus præcipue ratio in Ethicis habetur, est φρόνησις, De prud
dentia. prudentia.

Definitur autem εἰς αληθῆς μὲν λόγον πραγμάτων τὰ ἀνθρώπῳ ἀγαθὰ νοήην, habitus rectus cum ratione actius, circa ea qua homini bona vel mala sunt.

Versatur ergo prudentia circa res humanas, quæ mutationi sunt obnoxiae: & in iis quid bonum, honestum atque utile sit, despicit: idque non in specie tantum; ut cum prudentem vocamus medicum: sed in genere; cum ea

188 DE VIRTUTIBVS
ea cognoscuntur quæ ad bene vivendū perte[n]t.

Quum autem vita sit vel civilis vel œconomica vel privata, in omnibus illis recte instituendis prudentia occupatur.

Prudentia autem duobus modis acquiritur; vel generalibus regulis & præceptis, vel eorum ad certa & singularia subjecta applicatione, quorum altera pars sine altera imperfecta est.

Ideoque juvenes prudentes esse vix possunt; quia experientiam rerum singularium non habent, ad quas prudentiæ præcepta applicari debent. Multi vero sine disciplina solâ experientiâ rerum agendarum magnam prudentiæ partem sunt assecuti. Ex utraque tamen conjuncta perfectio demum nasci solet: ut in Pericle & similibus videre est; qui ideo prudentes vocati sunt, quia & sibi & aliis utilia dispicere potuerunt.

De intellectu. Quarta virtus mentis est *vñs*, id est, intellectus specialiter dictus: quæ est recta primorum principiorum apprehensio.

Nam cum omnis scientia ex antea notis, quæ sunt prima principia & communes notiones, colligatur; necessarium

rium est, ut aliqua sit facultas in mente
quæ & ea recte apprehendat.

Ultima virtus mentis est *sapientia*, *Desa-*
Græce σοφία. *Sapientiæ vox duobus pientia*.
modis usurpatut: vel pro summa perfe-
ctione & excellentia cujusque artis; ut
cum Polycletum sapientem statuarium,
& Apellem sapientem pictorem esse
dicimus: vel pro absoluta cognitione
scientiarum, & principiorum unde eæ
struuntur.

Ad sapientiam ergo hæc requirun-
tur. 1. Eminentissima primorum prin-
cipiorum cognitio. 2. Absoluta cogni-
tio scientiarum quæ ex principiis illis
deducuntur. 3. Nobilissima in utrisque
subjecta. 4. Addunt alii ex significa-
tione prima antea proposita, eorundem
principiorum & scientiarum ad nobi-
lissimas actiones in nobilissimis subje-
ctis applicationem; quarum conditio-
num pleræque in prima Philosophia,
omnes vero eminenter in sola Theolo-
gia reperiuntur. Quæ de consultatione
atque aliis nonnullis hic à Philosopho
subjiciuntur, ex secunda hujus libelli
parte peti possunt, ubi ea maxima ex
parte sunt explicata.

Restaret jam ut de virtutibus com-
positis,

De vir-
tute He-
roica.

190 DE VIRTUT. SINGULAR.
positis, nempe Heroica virtute, & Amicitia, nonnulla quoque subjungeremus.
Sed cum virtus Heroica, δρεπή ἡρωικὴ, non nisi gradu ab antecedentibus virtutibus secundum Aristotelem differat; sicut ei contraria Feritas, θνετότης, non nisi gradu à vitiis antea propositis distinguitur: haud existimamus necessarium in iis hærere; præsertim cum ipse Philosophus valde paucis hanc materiam absolvat.

De Amicitia vero, quæ φιλία Græce, & contrahenda & confirmanda, prolixius quidem Philosophus agit lib. 8. & 9. cum tamen à Cicerone hoc argumentum multo accuratius sit tractatum in libello de Amicitia, quem adolescentes in scholis discunt; nos hic finem facimus; & hoc compendium, ne sine necessitate in molem nimis magnam excrescat, absolvimus.

IN-

INDEX
PRÆCIPVORVM
CAPITVM,

Quæ hoc compendio con-
tinentur.

In introductione hac tractantur:

- PHilosophi definitio, & divisio. Pag. 11
Ethica definitio. 13. objectum. 14. divisio. 15.
usus. 16.
Ethica Aristotelica, & Christianæ discrimen. 7
Partitio hujus compendii. 18. 19

IN PRIMA PARTE,

Quæ agit de summo bono,

Hac tractantur.

- Ansit aliquod summum bonum? Pag. 20. 21
Vbi summum bonum acquiratur? 22
Sententia vulgi de summo bono proponuntur &
refutantur. 23. 24.
Sententia Epicureorum se summo bono exami-
natur. 25
Consensus reliquorum Philosophorum, summa-
bonum in virtute constituentium, demon-
stratur. 29
Sententia Stoicorum de summo bono. 30
Sententia Peripateticorum de summo bono, &
eorum cum Stoicis conciliatio. 32. 33.
Examen sententiæ Stoicorum & Peripateti-
corum de bonis corporis & fortuna. 33
An Voluptas animi sui summum bonum? 36
Desi-

INDEX

- Definitio summi boni ex sententia Aristotelis,
& illius explicatio.* 40
*Definitio summi boni ex sententia Platonis, &
Christianæ cum ea consensus ac dissensus.* 42

IN SECUNDA PARTE,

*Quæ agit de natura virtutis in
genere,*

Hac fere tradantur:

- D*e subiecto virtutis, nempe anima hominis
& facultatibus ejus. 45
*De objecto virtutis, nempe affectibus, eorum na-
tura, speciebus, & adjunctis Ethicis.* 49. 51
Quæstiones nonnullæ de affectibus. 53
*De causis efficientibus virtutum; sententia Ga-
lenistarum & Stoicorum examinatur.* 58. 59
Sententia Aristotelis de causis virtutum. 61
An & quatenus doctrina sit virtutū causa? 65
*Sententia vera & Christiana de virtutum cau-
sis.* 67. 68
*Definitio virtutis, & ejusdem secundum omnia
membra explicatio.* 69. 70
*Quæstiones nonnullæ de virtute proponuntur &
explicantur.* 75
De Spontaneo & Invito. 83
*De Principiis proximis humanarum actionum,
nempe intellectu, voluntate, consultatione, &
electione.* 93
De Libertate Arbitrii. 97
*Quomodo voluntatis libertas conveniat cum
Dei providentia?*
Quæ sint liberi arbitrii vires in bono aut malo? 104. 105

IN

C A P I T U M .
 IN TERTIA PARTE,
 Quæ est de Virtutibus singularibus,
 Hac tractantur :

<i>D</i> ivisio generalis virtutum.	Pag. 108
De Semi-virtutibus.	108
De Continentia.	111
De Tolerantia.	112
De Obedientia.	113
<i>V</i> irtutum perfectarum divisio secundum varios varia.	114
De Fortitudine.	116
De Temperantia.	125
De Liberalitate & Magnificentia.	129.133
De Magnanimitate & Modestia.	135.142
De Mansuetudine & Clementia.	144
De Affabilitate.	150
De Veracitate.	152
De Comitate.	159
De Verecundia & Nemesi.	162.163
De Iustitia universali.	165
De Æquitate.	167
De Iustitia particulari & injuria.	170
De Iustitia distributiva.	171
De Iustitia commutativa.	176
<i>Q</i> uestiones aliquot de utraque hac iustitia pro- ponuntur & solvuntur.	178
De virtutibus intellectus.	184
De scientia, arte, prudentia, intelligentia, & sapientia.	186.187.188.189
De virtute Heroica, & amicitia.	189

F I N I S .

I A N -

ANTONII WALÆI
ORATIONES
DVÆ.

In quarum prima
POLITICVS CHRISTIANVS,

In altera
VERI STVDIOSI
IDEA
describitur.

Quibus adjunctus est
HYMNVS AD DEV M

O R A T I O P R I M A.

In qua

Ostenditur, Prudentiam Civilem non ex solis
prophanis scriptoribus; sed in primis ex
Sacrae Scripturæ fontibus, viro Chri-
stiano esse petendam.

Habita Lugd. Bat. 8. Febr. cIc Ioc xxvi.

Illustriſſ. Principes, Nobiliſſ. atque Am-
pliſſ. D. Curatores, Praetor, Consules,
& reliqui hujus urbis inclytæ Re-
ctores, Clariss. Professores, collega ho-
norandi, Pastores, Doctores atque alii
viri reverendi ac ſpectabiles; totaque
adeo hæc generofa atque ornatiffima
juvenum corona:

Quandoquidem Academię hu-
jus consuetudo fert, ut qui
superiore anno Rectoratu
functus est, oratione aliqua
illustre hoc auditorium compellet; ego
quoque, licet à dicendo imparatus,
committendum non putavi, ut lauda-
bili huic consuetudini, & vestræ expe-
tationi deessem. Quam ad rem elegi
eiusmodi argumentum, quod nec à
muneris nostri ratione plane est alienum:

I 2 num:

2 ORATIO

num : nec, ut spero, illustri hoc auditio-
rio erit ingratum : quodque dignitate
atque utilitate sua, eloquentiae nostrae
defectum aliquo modo poterit supplere.

Statui enim paucis ostendere, Viro
Christiano , in Repub . administranda
aliquando ut par est versaturo , præce-
pta aut exempla regendæ Reipubl. non
tantum ex profanis scriptoribus ; sed vel
in primis ex S. Scripturæ veris decretis,
& sinceris fontibus , esse haurienda.
Quod cum dico, non ea nobis mens est,
ut scriptores illos, qui inter Gentiles, aut
alios , prudentiæ civilis laude celebres
sunt , & multa quoque Christianis Ma-
gistratibus imitanda tradunt , ex mani-
bus vestris excutiendos judicem ; quum
ipse Moses & Daniel in omni sapientia
Chaldæorum & Ægyptiorum erudit
fuerint , & imaginis Dei scintillæ ubi-
cunque emicant non sint negligendæ;
sed ut ostendam neminem Christianum
recte & cum debito fructu unquam
Reipub. præfuturum , qui ex solis pro-
fanis scriptoribus , S. Scriptura neglecta
aut postposita , prudentiæ civilis regu-
las sibi præscribat , aut circumscribat ju-
stitiæ atque æquitatis limites : quum in
illis omnibus naturalis solum lex ac so-
lertia,

Iertia, quæ in multis cæca, in multis
perversa est, regnum obtainuerit; in ido-
neo autem Reipublicæ Christianæ ad-
ministro, justitia atque æquitas divini-
tus tradita, utramque moderari, & ad
fines suos dirigere debeat.

Principio enim, in S. Scriptura non
tantum traduntur vera & salutifera re-
ligionis Christianæ dogmata, & mo-
rum communium præcepta, sine qui-
bus Respub. Christiana nec stare nec
regi potest; sed tota quoque ratio ac
forma politiæ Israëliticæ, cui ipse Deus
populum suum subjecit. Quis vero tam
profanus sit rerum à Deo institutarum
æstimator, ut non plurima ex ea in usum
Reip. Christianæ transferri posse arbi-
tretur? Etsi enim libenter agnoscam
populum Christianum ad legum Mo-
saicarum observationem non per omnia
adstringi; quia post adventum Messiæ
sceptrum tollendum erat à Iuda, & Le-
gislator ex medio pedum ejus; tamen
quin æquitas & justitia quæ in legibus
atque institutis illis relucet, magnum
civiliis prudentiæ usum sit suppeditatu-
ra, nemo Christianus potest dubitare.
Circumstantiæ legum civilium muta-
tionem subire possunt, fundamentum

I 3 tamen

4 O R A T I O

tamen ipsum, cui illæ innituntur, immotum & invariatum manet: quia lex moralis variationem non admittit, & quod primævæ naturæ à Deo ab initio est insculptum, nulla hominum institutione potest aut debet aboleri.

Hæc autem civilis prudentia etiam magis hinc promoveri potest, si diligens variorum exemplorum observatio & meditatio accedat, quæ in historia sacra per sacros scriptores tam belli quam pacis tempore eis sunt adjuncta. Annulla vel Græca vel Romana historia nobis viros sapientiores & ad regendum populum sibi commissum divinitus magis factos repræsentabit, quam vel Moses, vel David, vel Salomon, vel alii pii Reges ac proceres, quorum res gestas historia sacra describit, suo tempore fuerunt? Prodeat in medium tota gentilium Regum, Imperatorum, aut aliorum virorum laudatissimorum turba; nemo Christianus illos hac in parte hisce non dico non conferendos, sed etiam non præferendos judicabit: quum Deus ipse eos Spiritu prudentiæ supra reliquos mortales afflaverit, & omnibus piis Principibus, ac proceribus in exemplum non tantum pietatis, sed etiam

etiam veræ prudentiæ ac sapientiæ proposuerit. Imo hæc sapientiæ ac civilis prudentiæ laus in iis tam conspicua fuit, ut ipsi quoque sapientissimi & prudentissimi inter gentiles, eam eis nunquam inviderint. Hinc primarii inter eos in Phœniciam, Syriam, atque Ægyptum peregrinationes instituerunt, ut ex eorum fontibus prudentiæ ac sapientiæ hujus rivos augerent: quemadmodum de Solone ac Platone tota vetustas tradit; adeo ut Numenius Platonem, quia ex Mosis scriptis plurima in sua transulerat, Mosem Atticum appellaverit. Pythagoras, referente Iamblichῳ in vita ejus, annos plusquam 22. in illis regionibus transegit, ut cum eorum Sacerdotibus ac Prophetis sermones conserret, ac sapientiæ eorum & prudentiæ præscripta edisceret: quibus exactis demum in Patriam reversus est; & post 12. ann. in Italiam transiit, ubi plusquam 600. discipulos in omni scientiæ ac sapientiæ genere, atque in primis hac civili, instituit. Idem de Mose olim judicarunt, teste lib. I. contra Appionem Josepho, omnes scriptores Ægyptii; eumque ἄνδρα τὸν μάστον, καὶ δεῖον, virum admirandum & divinum nun-

I 4 cupa-

6 ORATIO

cuparunt. Et Straboni lib. 16. Geographiæ , de veteribus Israëlitarum ducibus , veritas idem judicium extorsit, quum eos διηγησεν γεγονότας νομίως ἀλητῶς οὐρανοῖς, justitia cultores & vere piros, olim fuisse affirmat. Atque hinc quoque factum est, ut in legibus Græcorum , & in legibus Veterum Romanorum , quæ partim ex Pythagoræ disciplina, partim ex Græcia, Legatis in eam rem missis , Romam advectæ sunt, plurimas leges Mosaicis per omnia consentaneas reperire sit: quemadmodum à diversis scriptoribus Christianis eorum collatio in eum finem est instituta. Quid dicam de Proverbiis Salomonis , atque aliis sententiarum in S. Scriptura libris ; in quibus non tantum diversa Prudentiæ privatæ atque Oeconomicæ præcepta continentur ; sed plura quoque Prudentiæ atque solertiæ Civilis ab omnium Regum Sapientissimo , in usum eorum qui rebus publicis præsunt vel præfuturi aliquando sunt, traduntur. Quamobrem & ipse Sapiens statim initio , ea hoc titulo commendat, *Proverbia Salomonis , filii Davidis , Regis Israëlitarum; ad sciendam sapientiam , & eruditionem , ad intelligendum*

gendum dicta Prudentia, ad percipien-
dum eruditionem intelligentia, justitia,
juriisque & omnis recti, ad dandum fa-
tuis astutiam, pueros scientiam & soler-
tiam; quibus auditis sapiens adjiciat dis-
ciplinam, & intelligens industria consilia
comparet. An ergo quisquam Christia-
næ Reipub. alumnus ex solis propheta-
norum ac gentilium scriptorum cister-
nis hanc veræ sapientiæ ac civilis pru-
dentia laudem petēdam putabit, quum
ipse Spiritus S. hæc scripta ad hunc mo-
dum nobis commendet; atque ipsi gen-
tium sapientissimi legumlatores, ac ci-
vilis prudentiæ laudatissimi Magistri,
divinos eos sapientiæ ac prudentiæ fon-
tes longis quoque peregrinationibus
atque immensis periculis adeudos sibi
existimarent? De Ptolomæo Philadel-
pho inter Ægyptiorum Reges pruden-
tissimo refert Aristæus & Iosephus,
quod cum à Demetrio Phaleræo Theo-
phrasti discipulo, librorum illorum fa-
mam & argumentum accepisset, tanto
eorum desiderio accensus sit, ut lega-
tionem ad Iudæorum Antistites mise-
rit, quo viros Hebraice & Græce peri-
tos ad se mitterent qui veteris Testa-
menti literas in lingua Græcam trans-

I 5 ferrent;

ORATIO

ferrent ; ut & ipse & subditi sui eorum
librorum lectione frui possent : quod &
factum esse iidem authores & tota ve-
ritas Christiana testatur. Ille ergo Rex,
etsi gentilis ex consilio suorum tot im-
pensas & labores sustinuit , ut horum li-
brorum sibi copiam faceret ; & nos
Christiani Christianæ Reip. candidati,
tantum thesaurum , qui ante oculos
nostros & in manibus nostris versatur,
& ab ipso Deo nostræ fidei concredi-
tus est , in hac parte negligendum aut
prætereundum arbitrabimur ? De Chri-
stianis principibus aut eorum consilia-
riis , quia brevitati studeo , nunc exem-
pla non affero , quæ infinita nobis in
hanc rem ab historicis Christianis refe-
runtur ; qui tanto semper sapientiores,
& in Rep. administranda feliciores fue-
runt , quo in horum librorum lectio-
nem & meditationem diligentius in-
cunberent. Quid , quod non tantum
utile , sed plane quoque necessarium sit
viro Christiano , conscientia integra in
Repub. aliquando versaturo , priusquam
civilis prudentiæ præscripta aut exem-
pla ad usum revocet ; ut eorum justi-
tiam atque æquitatem , ad Verbi Divini
normam examinet , & conspectam ha-
beat.

P R I M A.

9

beat. Nos enim hic Leguleium non respicimus , quem Cicero lib. de Oratore *præconem* vocat *actionum* , *cantorem* *formularum* , & *aucupem syllabarum* ; aut qui ex cœco tantum erga leges affectu de jure respondeat. Nos requiri mus hic virum Christianum ex veris atque immotis æquitatis, justitiae, ac prudentiæ præscriptis Rempublicam aliquando administraturum. Hujus dicimus conditionem ac statum hunc esse, ut in omnibus actionibus suis, non tantum quid leges humanæ jubeant , aut quid sibi aut Reipub. quoquo modo conducat , respicere debeat ; sed insuper , ut summo omnium rerum moderatori Deo , earundem actionum suarum rationem aliquando reddere tenetur. Quemadmodum pius Rex Josaphat Judicibus à se constitutis suggestit, 2 Chronic.19. *Videte, inquit, quid sitis facturi: non enim pro homine iudicaturi estis, sed pro Iehova, qui vobis cum futurus est in rebus judicii. Quare nunc insit pavor Iehova & vobis, obseruate, & facite: non enim est apud Iehovam Deum nostrum iniquitas, aut acceptio personarum, aut sumptio muneris. Facitote ergo cum timore Iehova &, cum fide,*

fide, & cum animo integro. Hunc, inquam, virum in administratione Reipub. & jurisdictione requirimus, qui Deo noverit dare, & Imperatori quod suum est. Quod nunquam quisquam in Republica Christiana assequetur, nisi divinam hanc sapientiam quavis occasione adhibuerit in consilium, & hanc veram ac supremam architectonicam omnibus aliis legibus & autoritatibus præposuerit. Quia hæc sola omnibus aliis præscribit modum ac formam, quo ex ad Deum omnium scientiarum authorem referri debeant. Nam animus vere Christianus nunquam sibi patietur satisfieri, si vel Græcos vel Romanos hoc aut illo pacto Reipublicam suam instituisse, aut jus administrasse audiat, nisi simul ex Dei verbo certus sit, aut Deum hujusmodi administrationis rationem probasse; aut saltem nunquam improbasse, vel condemnasse. Neque vero quisquam hic mihi regerat, defecetus illos, si qui fuerint in jure veteri Græcorum aut Romanorum, ab Imperatoribus Christianis in jure novo castigatos ac sublatos esse; ac proinde non esse quod juris hujus interpres ulterius requirat. Quia de mero juris ci-

vili

viliis interprete hic non loquimur, sed
qui Reipub. Christianæ regimini est
præfuturus, ad quod plura requiruntur.
Deinde & hoc juris nostri candidatis
serio observandum est, hunc juris &
æqui rivum non semper tam limpide
fluere, ut ad ipsum æquitatis ac justitiæ
fontem non sæpe sit adscendendum.
Nam & eo tempore multi quoque abu-
sus ac superstitiones in religionem Chri-
stianam irrepserant, quæ civiles leges
persæpe in consensum trahunt. Inter
Pontificios, Civilis juris defectum sup-
plet jus ipsorum Canonicum, atque in-
ter eos juri civili modum ponit: Quod
jus Canonicum raro ex Scripturis San-
ctis, nonnunquam ex Decretis conci-
liorum, aut Patrum sententiis, persæpe
ex Pontificum Decretis est consarcina-
tum; inter Reformatos vero nullum jus
Canonicum agnoscitur, nisi quod aut
ex ipso Dei verbo, aut ex ejus certa &
constantia analogia colligitur. An inter
Pontificios idoneus Iurisconsultus ha-
beretur, qui jus ipsorum Canonicum
ignoraret aut contemneret? Nostrum
jus Canonicum est S. Scriptura; quæ so-
la æquitatis omnis ac justitiæ veræ Ca-
nonem seu regulam præscribit, ut ex
Salo-

Salomone jam intelleximus; ac proinde pro Christianæ Reipub. Rectore aut Consulto juris agnosci non potest, qui Divini juris, quod solum omni æquitati ac justitiæ civili modum ponit & quasi ultimam manum apponit, negligens sit aut ignarus. Quam multa hic ex æquo & bono in juramentis, votis, usuris, conjugiis, testamentis, atque aliis bonæ fidei contractibus decidenda sunt? quæ non tantum ex civilis juris apicibus & formulis, sed ex moralis ac divinæ quoque legis moderamine judicanda sunt, ut Christianæ conscientiæ hic reperiant, in quo tuto acquiescant. Quā multa in pœnarum ac præmiorum ci-vilium distributione, ne adversus ipsum Rerum publicarum authorem Deum, & ejus justitiam peccetur? quam ipse Hesiodus Dei Filiam appellat, quæ cum à mortalibus judicibus neglecta aut læsa est, ad tribunal Patris sui in cœlum adscendere ab eo fingitur, neque inde recedere donec justam adversus sui contemptores vindictam impetravit. Quod de jure dixi, multo quoque magis observandum est in eorum librorum lectione, ex quibus regulas aut exempla administrandæ Reipub. petenda esse plurimi

plurimi arbitrantur. Fatemur multa in eis passim occurrere, quæ in regenda Repub. usum non exiguum habent, & ipsum quoque Apostolum Paulum non nullas sententias ex eis ad Christianos convincendos adducere; sed audeo tamen cum Augustino afferere, tantam esse Sacræ Scripturæ plenitudinem & sapientiam, ut quicquid homo extra Scripturas didicerit, si noxium est, hic damnetur; si utile, hic inveniatur: & cum quisque ibi invenerit omnia quæ utiliter alibi didicit, multo abundantius ibi inventurus sit ea, quæ nusquam alibi invenire potuit. Non quod mens Augustini sit, omnium casuum singularium juris, aut Politiae administrandæ exempla ac præcepta ibi semper expressa reperiri, licet plurima & maximi momenti ea ibidem animum Verbi Divini studiosum ostendimus reprehendere; sed quod in iis, quæ hic exprimuntur, generales normas & quasi exemplares ideas atque imagines inventiet, ex quibus de singularum actionum justitia & æquitate certus redetur, & sine quibus animus adhuc tener ad prudentiam civilem formandus, nisi magno cum periculo in prophanis scriptis

14 O R A T I O

ptis evolvendis versabitur. Poëtas, quia multa continerent fabulosa, inepta, impia, & impura, ipse Plato in Rempublicam suam non admittendos putavit; ne ipsum quidem Poëtarum Principem Homerum. Cui tamen Horatius hoc præconium reddidit, quod,

*Quid sit pulchrum, quid turpe, quid
utile, quid non,
Plenius ac melius Chrysippo & Cran-
tore dicat.*

Item:

*Rursum quid virtus & quid sapien-
tia possit,
Vtile proponat nobis exemplar Vlys-
sem.*

Sed ego hic Platonis potius, quam Poëtæ Venusini de poëtis judicio accedendum judico. Non quod velim eos è Repub. Christiana omnino exturbari, ad linguam enim, ad venustatem poëfios, ad antiquitatis memoriam, ad multarum insignium sententiarum selectionem, servandi nobis omnino sunt; sed ad probitatis, justitiæ, aut prudenter normam efformandam nobis non sunt admittendi, nisi ad divinam hanc amissim exigantur. Agnoscimus in Achille (ut de hoc authore, quem tanti facit

facit Horatius, aliquid dicam) audaciam ac ferociam militarem; veram tamen virtutem aut fortitudinem non agnoscimus. Nisi fortitudinis aut virtutis sit, convitia ex plaustro in summum exercitus imperatorem effundere, & id quidem ex Minervæ sapientiæ Deæ præscripto; aut Deos & homines propter ademptum sibi mancipium in vindictam excitare; aut ex irritati animi impotentia cladem potius toti exercitui meditari, quam ulcerati animi ægritudinem reprimere: & plura similia, quæ in hoc exemplo ab ipso Poëta laudantur. Agnoscimus quoque in Vlysse astutiam & solertiam singularem; veram tamen prudentiam aut virtutem, quam illi idem Horatius affingit, non agnoscimus; nec in eo quisquam Christianus agnoscere potest, nisi qui fraudes, mendacia, adulteria, artes magicas, & propriam vindictam, inter veræ prudentiæ ac virtutis præcripta censeri velit. De Tragicis poëtis, in quibus tamen totam veterum prudentiam exhiberi non male vir quidam magnus judicavit, egregium extat Cypriani, in Epist. ad Donatum, judicium: quod hic interseram, ut ostendam quid de eis veteres

teres Christiani senserint. Cothurnus
(inquit) est tragicus , prisca carmine fa-
cinora recensere , de parricidiis & ince-
stis , horror antiquus , expressa ad ima-
ginem veritatis actione replicare , ne se-
culis transiuntibus exolescat , quod ali-
quando commissum est. Admonetur etas
omnis auditu , fieri posse , quod aliquando
factum est. Nunquam avi senio delicta
moriuntur , nunquam temporibus cri-
men obruitur , nunquam scelus oblivio-
ne sepelitur , exempla fiunt quae esse jam
facinora desierunt. Et iterum ; Exprimunt
impudicam Venerem , adulterum
Martem , Iovem illum suum , non magis
regno quam vitiis principem. Quare iam
nunc an possit esse qui spectat integer , vel
pudicus ; Deos suos quos venerantur imi-
tantur , fiunt miseris & delicta religio-
sa. Sed , inquit aliquis , Historici eorum
aut civilium præceptorum magistri ca-
sti magis atque sinceri sunt , & minori
cum discrimine ex eorum decretis ani-
mus ad civilem prudentiam formatur.
Evidem fateor , in authoribus illis ju-
dicia integriora reperiri , & ad animos
non satis adversus vitia firmos moribus
pravis imbuendos , tantis lenociniis non
esse instructos ; interim tamen nisi &
hic

hic divini verbi manuductio in viam revocaverit, quod extra honestatis ac pie-
tatis orbitas vagatur, non nisi summo
cum animi ac Reipublicæ Christianæ
discrimine in exemplum proponentur.
Impia enim religio non potest non in
consensum trahere ipsum Reip. gubernan-
dæ modum; & ex hac impura fæce
non potest non infici sincerus ille pru-
dentiæ atque æquitatis naturalis fons.
Hinc multa delicta, ut egregie Cypria-
nus, illis non tantum licita sed & reli-
giosa. Et licet scriptores illi, aut Rerum-
publicarum moderatores, Sacra Cere-
ris, Mercurii, Veneris, Bacchi, Saturni,
& similia, propter enormitatem scele-
rum, quibus Rempub. inundabant, per
omnia laudare aut probare nonnun-
quam veriti sint; ea tamen vel ex Re-
pub. sua tollere, vel vitia quæ eis ex ipsa
institutione cohærebant condemnare,
propter religionem non sunt ausi. Quid
dicam de ipsa naturæ lege ab ipsorum
optimis in injustitia, ut cum Apostolo
nostro loquar, detenta. Hinc factum,
ut omnes Draconis leges sanguine sint
scriptæ: ut Plato communionem om-
nium rerum, & inter eas quoque uxo-
rum & liberorum in sua Rep. requisi-
verit

siverit: ut in Rep. Græcorum & Romanorum non tantum jus vitæ & necis in servos; sed jus exponendorum quoque ac tollendorum liberorum promiscuo usu receptum sit; item scortationum atque aliorum nefandorum criminum impunitas relictæ. Imo vero ipsius imperii Romani in alias gentes propagationem, ipse Polybius, rerum & morum Romanorum observantissimus scriptor, non ipsorum virtuti ac prudentiæ, sed indomitæ alicui ferociæ ac pertinaciæ adscribit: quod judicium eo nobis majoris faciendum est, quia ipsa Scriptura sancta Monarchias illas cum feris bestiis comparavit. Quid dicam singulos quoque scriptores sectæ suæ errores aut vitia redolere? Inde apud ipsum Tacitum, quem recentiores quidam tanquam Politices parentem, imo Deum aliquem venerantur, ex Epicuri decretis providentia divina in dubium vocatur: & præter alia deliria de ortu & progressu Iudæorum, tota religio Iudæorum non tantum superstitionis accusatur; sed absurdis & impuris commentis proscinditur. Lex qua inter eos Sabbathū mandatur, atque Idolorum cultus, & infantium abjeccio vetatur,

vetatur, aut necatio, indigne traducitur. Alibi ex Stoicorum placitis illi, qui sibi ipsi mortem consciscunt, quo hujus vitæ afflictiones, aut Principum iratorum manus effugiant, tantis præconiis celebrantur, ut nimia illorum admiratio nonnullos Christianos ad imitationem transversos egerit; utinam in ipsa hac patria nostra hujus imitationis exempla non extarent! Hæc eò à me non dicuntur, ut ejusmodi scriptores negligendos aut parvi faciendos judicem? sed ut ostendam rem plenam periculi esse, si ad nimiam eorum admirationem juventus excitetur; & ut Christiani intelligent, quæcunque ab iis ad civilis disciplinæ usum traduntur, ad normam divinæ legis semper esse revocanda; ut plena cum animi fiducia in exemplum adduci possint. Sed hic seculi nostri morbus jam paulatim invalescit, omnibus remediis divinis & humanis expugnandus, ut in consiliis publicis & privatis, hujusmodi scriptores in exemplum allati, majori admirationi sint; quam si ex ipsa Historia Sacra, aut divinæ sapientiæ præscriptis ea adducantur. Taceo alios, qui perversiori judicio impuri illius Machiavelli placita,

cita , à sanioribus quoq; gentilibus con-
demnata , suorum consiliorum nor-
mam audent constituere. In quo pie-
tas , probitas , fides , privata bona sunt;
quo juvat , reges eunt : atque omnis im-
probitatis & tyrannidis autoramenta
pro civilis prudentiæ exemplis aut præ-
ceptis habentur. Utinam animi vere
Christiani hæc serio agnoscerent ; &
adscenderent cum Mose in montem
Dei , ut ex ipsius Dei ore quid facien-
dum aut omittendum , imitandum aut
fugiendum sit , primum exquirerent;
haud paulo meliorem & firmiorem rei-
pub. statum inter Christianos observa-
reimus. Reæte judicavit in dissertatio-
nibus suis Politicis & militaribus La-
noæus , vir bello juxta ac pace clarus , &
simul veræ pietatis verus custos; ex duo-
rum librorum lectione & admiratione
nimia , perniciem fere morum & pro-
bitatis in regnis & rebus publ. Christia-
nis nasci : nempe ex conficti illius Ama-
disi & similium ludicrorum authorum
fabulosis narrationibus , in quarum le-
ctione adolescentes multi ætatis suæ
florem perdunt , & teneri eorum animi
paulatim ad multorum vitiorum im-
tamenta adsuescunt : & ex electione de-
testan-

restandorum scriptorum Florentini il-
dius Secretarii, qua animi juvenum &
virorum, perversis solertiæ civilis si-
mulacris imbuuntur, atque ad omnem
impietatem & improbitatem cœca ho-
norum ac titulorum cupidine effingun-
tur. Unum hic adhuc adjungo, quod
velim in animos candidatorum juris,
& civilis scientiæ alumnorum quam al-
tissime descendere. Nos hic virum in-
struere, qui non tantum Christianæ, sed
Reformatæ Reipub. præfuturus sit, ac
proinde qui non tantum inspectionem
in res Civiles, sed in Ecclesiasticas quo-
que est habiturus. De quo non refor-
mido asserere, omnium difficultatum
& controversiarum, quæ inter Magi-
stratus & Ecclesiæ Reformatæ antisti-
tes non raro oriuntur, ex sola sacræ
Scripturæ ignorantia aut neglectu ori-
ri. Nam cum gubernatio Reip. & re-
gimen Ecclesiasticum, in Ecclesiis Re-
formatis, ita inter se implicata sint, ut
mutuos sæpe fines ingrediantur, fieri
non potest, ut non aliquando hic in di-
versa studia & partes eatur, si Reipub.
Reformatæ Rector divinarum institu-
tionum atque exemplorum ignarus sit,
ad quarum normam res illæ sunt diri-
gendæ.

gendæ. Pontificii ut huic periculo occurrerent Magistratum ex omni cognitione regiminis Ecclesiastici exturbarunt, & Republicam relexerunt in Republica. Imo vero Pontifices eorum & Episcoparem eo perduxerunt, ut reluctantibus frustra Principibus & Magistratibus, sibi supremam potestatem & inspectionem in ipsorum munus usurparint. Reformati semper fassi sunt, divisum quidem esse utrumque regimen, interim tamen Magistratui supremo, tanquam utriusque tabulæ custodi, ex Dei Verbo, aliquam curam & inspectionem in Ecclesiasticum regimen competere. Fac ergo, Magistratum aliquem, qui divinarum institutionum atque exemplorum, quæ hic sola gubernaculum tenent, ignarus sit, ex solo jure civili scripto, vel humana quadam prudentia, consilia sua hic moderari; Antistites vero Ecclesiæ ex divinarum institutionum & exemplorum præscripto; an non hinc necessario Ecclesiæ, ac Reip. collisio ac perturbatio sequetur? Adeo ut vel ejusmodi Magistratibus hic officium deferendum sit, vel alienis tantum oculis & judiciis intendum: quod animus vere Christianus in

in re tanti momenti semper refugit: vel si hoc officio quod eis divinitus incumbit, prout par est, defungi velint, non tantum Iustiniani sed etiam S. Scripturæ codex iis diligenter evolvendus est, ut ex propria conscientia, non ex alieno tantum præscripto actiones suas possint instituere. Ita enim & pomœria sua Ecclesiarum Antistites ultra fines à Deo præfixos extendere non poterunt; nec ipsi Magistratus humanarum legum aut consuetudinum autoritatem, divinæ authoritati unquam conabuntur opponere. Faxit Deus author omnis justitiae & pacis, ut hoc modo se ad regendam Remp. parent, qui in ejus spem hic educantur: tum demum Moses & Aaron, David & Nathan, Salomon & Tsadoc Remp. reformatā conjunctis animis & viribus gubernabunt.

Supereft, ut eorum exceptioni breviter occurram, qui ea quæ haetenus à nobis dicta sunt, & vera & optanda concedunt; sed tantum esse juris Romani Oceanum, tantamque politicorum authorum multitudinem regerunt, ut ætas unius hominis ad omnes simul ediscendos aut evolvendos non sufficiat; atque ideo Iurisconsultis sua, & Theolo-

K gis

gis sua esse relinquenda. Sed primum
meminisse juris hujus & Reip. candi-
datos velim, me hic ab eis non requirere,
ut omnium quæstionum aut dispu-
tationum, quæ inter Theologos agitantur,
periti sint; sed contendo, eis Sacræ Scri-
pturæ historiam & exempla, ac præce-
pta omnia ad Reip. Reformatæ institu-
tionem necessaria, quæ fere extra o-
mnem controversiam sunt, diligenter
esse observanda, ut ea opportuno tem-
pore ad usus suos possint referre. At ars
tamen longa, & vita brevis. Sed an pro-
pterea ea negligenda quæ maxime esse
necessaria jam antea à nobis est evi-
ctum? aut an omnibus cuiuscunque ge-
neris Christianis S. Scripturæ diligens
scrutatio mandabitur, ut propriam sa-
lutem in ea inveniant, quemadmodum
ipse Christus loquitur, Ioan. 5. Iuris, aut
Reip. Christianæ candidati hic se exi-
mios aut excusatos putabunt? si non
tantum salutem suam neglexerint, sed
etiam instrumentum illius scientiæ, sine
cujus notitia in propria sua functione
ut par est non possunt versari. David
Psal. 1. *beatum illum virum prædicat,*
qui in lege Dei meditatur dies & noctes.
Apostolus Pet. ep. 2. cap. 1. dicit, *eos bene*
facere

facere qui attendunt ad sermonem propheticum , tanquam ad lucernam splendentem in obscuro loco . Soli ergo civilis prudentiae alumni , sub ullo praetextu hac lucerna , quae per tenebras seculi ad beatitudinem veram hominem dicit , sese privari patientur ? Imo vero tanto magis hic obligantur , quanto eminentius munus sortiti sunt , & quanto quoq; divina mandata atque exempla eos hic magis videmus urgere . Regi mandat Deus Deuter. 17. cap. ut describat sibi exemplum Legis divinae in libro , ex eo qui erat in conspectu sacerdotum Leviticorum , & ut sit penes eum , & legat in eo omnibus diebus vita sua . Iehosuæ Israëlitarum duci idem mandatum renovatur . Ios. 1. 8. Ne discedito liber iste legis ex ore tuo , sed meditaberis de eo interdiu & noctu , ut cum observantia facias omnino , prout scriptum est in eo : tunc enim prosperaberis in viis tuis , & tunc secundaberis . An quisquam majores occupationes praetendere potest , quam Regi Israëlis , aut Iosuæ Israëlitarum duci incumbebant ? aut an quisquam majori negotiorum mole premitur , quam Rex David bello & pace totam vitam suam est expertus ? qui de sese tamen

men Psal. 119. testatur, quod *testimonia Dei*, non tantum essent oblectationes, sed etiam consiliarii ejus. Item, *Omnibus docterioribus meis* (inquit) *intelligentior fio*, *quia testimonia tua meditatio mea; senibus prudentior sum*, *quia mandata tua custodio*. Et plurima ejus generis in eodem Psalmo. Imo vero, ut ostenderet quanta cum cura Dei legem meditaretur, eundem Psal. 119. in sectiones 22. juxta numerum literarum Alphabeti divisit; singulas autem sectiones in versus octonarios; & nullus tamen versus est ex illis 176 versibus, quin saltem semel, legis, & verbi Dei meminerit. Si ergo Rex David totius regni negotiis tam bellicis quam civilibus distentus, tempus sufficiens meditandæ divinæ legi invenire potuit, quis se tempore excludi per alia negotia sua audebit causari? Sed ut pressius ostendam nemini Christiano tempus Sacris Historiis legendis aut meditandis deesse; considerent Reip. ac juris candidati, septimum quemque diem huic sancto studio à Deo esse consecratum; quem ad profana studia sine divini præcepti violatione nemo absque evidenti necessitate, multo minus ad res voluptarias aut

aut inhonestas, potest transferre. Meminerint quoque Deum in veteri Test. primam & ultimam cuiusq; diei horam jugi sacrificio & cultui divino destinasse. Illa tempora si huic studio impenderint, nihil erit quod de temporis angustia conquerantur. Sic David de se ipso testatur Psal. jam citato, *Venio ante te in ipso crepusculo, ut vociferer. in verbo tuo spem habeo.* Et rursum, *Præveniunt oculi mei excubias ad meditandum de sermone tuo.* Et ne videar tantum Prophetas aut Apostolos in exemplum adducere, quorum tamen imitatores esse debemus, ut illi Christi imitatores fuere; de multis non tantum viris magnis, sed & magnis Regibus atque Imperatoribus Historiæ Christianæ idem tradunt, de Constantino nempe, Gratiiano, utroque Theodosio, Carolo Magno atque aliis plurimis. Constantinus ipse Synodo Nicenæ interfuit, & cum Episcopis ac presbyteris ex Dei verbo de controversis articulis sententiam dixit. Theodosius magnus frequens in ore habuit, magis se gaudere quod membrum Ecclesie Dei esset; quam quod in terris regnaret. De juniore Theodosio refert Socrates lib. 7. Historiæ suæ, quod primo

K 3 dilu-

diluculo ipse cum sororibus suis hymnos alternatim decantatos recitavit, & S. literas pronunciavit memoriter, & cum Episcopis haud aliter ac si Sacerdos designatus fuisset de eisdem differuit. Recentiorum exempla omitto, qui eo semper & prudentiores & feliciores habiti sunt, quo hoc sancto studio magis sunt delectati. Nam pietas ad omnia utilis est, habens promissionem non tantum vita futura, sed etiam presentis. Et, Quarite ante omnia regnum Dei ac iustitiam ejus, & reliqua adjungentur vobis. Ne ergo existimate, Adolescentes ac juvenes Reip. Christianæ candidati, tempus illud vobis perire, aut à Iuris ac prudentiæ scientia comparanda avertere; sed hoc ante omnia recte esse collocatum, & ad prudentiæ civilis scientiam absolvendam impensum, quod divini juris meditationi impenditis. Deus propterea duplam manuæ mensuram pridie Sabbati concessit Israëlitis in deserto, ut benedictione sua, tempus quod Sacris meditandis insumitur, sese suppleturum demonstraret. Vnius temporis, inquit Seneca, honesta avaritia est. Quam multum temporis in juventute nostra nobis elabitur nihil agentibus,

tibus, quam multum aliud agentibus,
ne dicam etiam male agentibus? quam
multi intra speculum & pectinem, ut
dicit solet, bonas horas consumunt?
quam multi ludicris exercitationibus,
conviviis, aut aliis etiam vanioribus
studiis, quæ huc applicari possent? de
quibus tamen Sapiens Ecclesiast. 12. ait,
*Latare juvenis in juventute tua, & ex-
hilaret te animus tuus diebus juve-
nitutis tuae, denique perge in viis animi
tui, & adspectibus oculorum tuorum: sed
cognosce fore ut propter omnia hac, ad-
ducat te Deus ipse in judicium.* Nemini
ergo cui studium & voluntas non deest,
tempus unquam in hanc rem tam ju-
cundam, atque utiliem deerit, qui non
omnem veræ utilitatis & jucunditatis
gustum amisit. Postulamus tantum u-
nam aut alteram horam in singulos
dies; ita paulatim ad S. Scripturæ nor-
mam ac formam judicii nostri aciem
effingemus. Et sicuti Moses 40. illos
dies cum Deo in monte conversatus,
fulgore eximium etiam ignorans in
vultu acquisivit; ita quoque, ex hac cum
Deo conversatione quotidiana, animus
noster pietatis, justitiæ, sapientiæ, ac
veræ prudentiæ habitum induet, qui

K 4 omnes

ORATIO
omnes actiones & functiones ejus vera
virtutis gloria & bonæ conscientiæ te-
stimonio illustrabit. DIXI.

ORATIO
SECUNDA.

In qua

Officia veri Studiosi in Academia
describuntur.

Habita Lugd. Bat. 8. Febr. cIc Ic xxvii.

Excellentissime, atque Ampliss. Sereniss.
Gallia Regis Legate. Illustriss. Prin-
cipes, ac Comites, aliquique viri gene-
rosi. Nobiliss. ac Consultiss. D. Cu-
ratores. Prætor, Consules, & reliqui
hujus urbis inclytæ Rectores. Clariss.
D. Professores, Collega honorandi, Pa-
stores, Doctores, aliquique viri specta-
biles ac reverendi. Totaque adeo hac
doctissima atque ornatissima juve-
num corona.

DE Athenodoro Philosopho
tradunt veteres, quum ab Au-
gusto, apud quem ad aliquod
tempus diverterat, discessum
pararet, eum valedictionis loco præ-
ceptum.

ceptum salubre de ira cohibenda per elementorum Alphabeti tacitam repetitionem suggestisse: ut per illud Imperatori ac subditis ejus absens quoque consuleret, & sui apud eum memoriam relinquere gratiorem. Hoc ipsum, Nobilissimi atque Ornatissimi Iuvenes, mihi à negotioso ac molesto hoc Reeturæ munere, ad quietius studiorum genus redeunti, omnino apud vos quoque faciendum judicavi; ut aliquo sapientiæ præscripto, in hoc ultimo Rectoratus nostri actu, animos vestros confirmarem, & novo ad studia stimulo, nostri quoque memoriam fructuosiorem relinquem. Circumspicienti autem mihi quid potissimum eum infinitem tractarem, nihil vel ad utilitatem commodius, vel ad voluptatem jucundius existimavi fore, quam, si vos ipsos & officia vestra tanquam in speculo vobis contemplanda proponerem, & ideam atque exemplar veri studiosi veluti penicillo depingerem: quo, & quid Patria ac Parentes vestri à vobis expectent, & quo pacto omnia vestra vos instituere oporteat, quasi in tabella possitis conspicari.

Studiosum ergo, adolescentem aut.

K s juve-

juvenem hic appello, qui ex ludo Triviali & severo præceptorum magisterio egressus, ad majorem ingenii cultum capiendum in libertatem Academicam transit, seseque ad functiones literatas, in Ecclesia aut Rep. obeundas parat. De cuius primum vita, deinde de studiorum ejus instituendorum ratione, quantum temporis brevitas permisura est, à nobis agetur.

De vitæ ejus genere ac modo mihi ante omnia tanto magis laborandum est, quanto illa majoribus initio difficultatibus, ac periculis est exposita. Libertas enim illa, in quam excusso præceptorum jugo transit Adolescens, eum instar equi, qui frenum ac sessorem amisit, sæpe in præcipitia invitat ac trahit: ætas ejus jam pueritiam excedens, & curis virilibus nondum exercita, sese ipsa difficulter potest moderari: exempla denique eorum, qui juventutem suam per flagitia transfigunt, atque alios sui quoque similes esse cupiunt, prob dolor, nimis sunt obvia, atque animum ejus adhuc tenerum sæpe transversum agunt. Adversus hæc omnia, quæ Adolescentibus eorum que studiis perniciem minantur, tria virtutum genera præceris

teris opponenda sunt; *temperantia* nempe, *modestia*, ac *pietas*. *Temperantia* in se se ipsis, *modestia* adversus alios, & *pietas* erga superiores atque in primis erga Deum. Ubi hæc tria virtutum genera locum repererint, non est quod à reliquis vitiis multum metuatur; nec ulla obstacula, quæ cursum studiorum remorari solent, facile sunt extimescenda.

Prima ergo virtus hic sit *temperantia*, quæ partim in ventris cura moderanda versatur, partim in iis cupiditatibus refrenandis, quæ pudicitiam & castitatem lœdunt. Atque eo hæc magis est necessaria, quo plures in hac ætate ad eum scopulum impingunt. Nam vigor corporis, otium juvenile, atque occasionum circumstantium multitudo, in hanc virtutem maximos insultus faciunt. Ideoque juveni rerum magnarum, ac scientiarum insignium cupido, contra ea diligenter vigilandum est. Quomodo enim fieri potest, ut animus hominis ad rerum utilium ac sublimium cognitionem aptus sit atque idoneus, qui se se, pecudis instar, voluptatum ac libidinum cœno involvit, atque immergit? Musæ omnes virgines

nes sunt , Apollo castitatis ac temperantiae praeses , Charites sobriæ ac pudicæ ; Venerem impuram , & Bacchum ebriosum, in consortium suum non admittunt . Hinc quoque prudentiam ac temperantiam eadem *σωφροσύνης* voce exprimunt Græci , sapientiæ hujus haud postremi magistri : & quemadmodum intemperantiam nutricem Medicorum vocant , quia ex ea omne genus morborum corporis atque animi fere nascitur ; sic temperantiam matrem sanitatis , ac sapientiæ recte appellant , quia homo sobrius & pudicus , corporis atque animi vigore valet , & ad quævis doctrinæ ac sapientiæ monita percipienda purus est ac paratus . Ideo sapientissimus Regum Salomo , per totum Proverbiorum librum , in quo juvenes ad prudentiam ac sapientiam , magnis propositis vitæ hujus ac futuræ præmiis , invitat , nihil crebrius inculcat , quam ut veræ doctrinæ ac sapientiæ alumni , ante omnia sobrietati ac continentiae littent ; atque ab impudicarum mulierum , tanquam à Sirenum atque infernalium Furiarum limine , quam longissime absistant . Sic statim initio , postquam præmia sapientiæ cum magna verborum majestate

majestate atque efficacia commenda-
vit. *Quum venerit, inquit, sapientia in animam tuam, & scientia menti tua amœna erit, eripe te à via mali, à viris loquentibus perversitates, qui derelinquunt itinera recti, ut ambulent per vias tenebrarum ; qui latantur quum faciunt malum, & exultant in perversitatibus pessimis. &c. Eripe te à muliere extranea quæ dictis suis blanditur, quæ derelinquit ducem adolescentia sua, & fœderis Dei sui obliviscitur : nam propendet ad mortem domus ejus, & ad expertes vita orbita ejus.* Et paulo post: *Quamvis favum stillent labia extra-
neæ, & mollius oleo palatum ejus, attamen posterius ejus amarum est ut absynthium, acutum ut gladius bipennis, pedes ejus descendunt ad mortem, ad se-
pulchrum gressus ejus pertinent. Adversus comeslatores atque hellunes itidem: Cui v&a, cui eheu, cui contentio-
nes, cui vulnera impune, cui rubor oculorum ? immorantibus apud vinum,
euntibus ad investigandum mustum. Et mox, Qui custodit legem, filius est pru-
dens ; qui autem se consociat comesla-
ribus, ignominia afficit patrem suum. Ac tandem concludit, Derisor est vinum, tumul-*

*Cap. 5.
v. 1.*

*Cap. 23.
v. 29.*

*Cap. 24.
v. 7.*

*Cap. 20.
v. 1.*

36 ORATIO

tumultuosus potus inebrians ; quisquis
oberrat in eo, non sapit. His ipsa quoque
experientia attestatur : Quid enim So-
cratem, Pythagoram, aliosque veteres
Philosophos ad eum scientiae gradum
evexit ? nonne temperantia eorum,
quæ passim ab antiquis celebratur. Ad-
eo ut quum Socratis ævo, teste Plutar-
cho , pestis Athenas sæpenumero va-
staret , solus ipse ab ea semper immunis
fuerit , quia in eo humores idoneos
quos inficeret non invenit. Pythagoras
vero ejusque discipuli solis oleribus at-
que aliis è terra natis (fabis exceptis,
quia ad impudicitiam incitant) ut plu-
rimum vicitarunt , ac vinum interdiu
non gustavere. Danielem ac Socios
eius eodem fere vixit genere ado-
lescentiam suam exercuisse , dum sacræ
ac profanæ sapientiae operam darent,
ipse nobis initio libri sui testis est. Quem-
admodum & de Timotheo suo testatur
Apostolus , cui propter infirmitates af-
fiduas aliquem vini usum præscripsit,
quod abstinentia corpus suum castiga-
bat, ne cum aliis prædicaret , ipse reje-
ctaneus fieret. Nec vero cum hoc mo-
nemus , propterea usum omnem illa-
rum rerum juventuti interdicimus , sed
abusum

Dio. Laert.
in vita
Socrat.

Idem in
vita Py-
thagoræ.

abusum & excessum: sicuti & Sapiens;
Ne respicito vinum quum rubescit, cum
exhibit in poculo colorem suum, quum
indesinenter movetur rectissime; nam
tandem velut serpens mordebit, & ut
hemorrhoid punget. Ipse Plato idcirco
voluit, ut in sua Repub. juniores vinum
aut non biberent, aut non nisi in præ-
sentia seniorum; quoniam magna pars
peccatorum tollitur, si peccaturis adfis-
stat testis. At ne sola vobis Philosopho-
rum ac Thelogorum nomina propo-
namus, qui tamen communi hac via ad
sapientiam ac doctrinam sunt grassati,
affero eam solam ac certam esse viam,
ad gloriam in quibusvis muneribus li-
teratis Reip. imo & scientia militari
acquirendā: quemadmodum enim ter-
ra nimiis imbris madida, nunquam
fructus ad maturitatem producit; sic
nec animus juvenis hisce vitiis infectus.
Inspicite vitas Solonis, Lycurgi, alio-
rumque Legumlatorum in Rep. Græ-
corum; Numæ, Camilli Catonum, ac
Scipionum in Rep. Rom anorum; Con-
stantini, utriusque Theodosii, & simi-
lium in Imperio Christianorum; omnes
hos videbitis per virtutem temperan-
tiæ, tanquam primum in scala gloriæ
civiliſ

civilis ac militaris gradum , ad ipsam primo scientiam civilem ac militarem, deinde vero ad ipsum felicem eorum usum pervenisse. Et si qui inter eos reperti sunt , qui ad Veneris aut Bacchi castra postea transiverunt , omne quoque antecedentis felicitatis ac gloriæ decus cum hac virtute amisere. Hujus rei illustre exemplum in magno illo Plutar- chus in vita ejus. Alexandro habetis , qui sub Stagiritæ disciplina eo usque profecit , ut sibi frequenter gratulatus sit, quod à Patre quidem vitam ; ab ipso vero ut bene vive-ret accepisset. Hic initio suarum expeditionum , quæ ipsum supra omnes Reges ac Principes extulerunt , non tantum gloriari fuit solitus, quod prandii condimentum esset matutinum iter, & cœnæ obsonium esset parcum ac frugale prandium ; sed etiam tantus castitatis atque honestatis amator fuit , ut uxorem ac filias Darii jam captivas , atque omnium fœminarum orientis pulcherrimas , ne quidem oculis suis adspicere sustineret. Is ergo tantus Rex, quam diu frugalitatis ac temperantia hujus amator fuit , & præceptorum Aristot. memor ; ubi fortunæ quadam prosperitate ebrius , in contraria vitia se cœpit

cœpit immergere , plurima nefaria hac occasione in suos , patravit , & tandem omne antiquum decus cum ipsa vita amisit . Videtis , Generosi atque Ornatisimi Juvenes , ab una parte temperantiae atque honestatis fructus ; ab altera vero incommoda ac dedecus , quæ incontinentiam atque intemperantium solent comitari . Et si hæc exempla etiam in gentilium sapientibus laudata sunt ; quid vobis per baptismum Ecclesiæ Christi insitis , atque ad spem Reipub . inter Christianos gerundæ educatis , faciendum censetis ? Præsertim quum Christus ipse discipulos suos moneat ?

Videte ne corda vestra ullo tempore gra- *Luc. 21.*
ventur crapula , ebrietate , aut curis hu- *v. 24.*
jus seculi , & repente superveniat vobis
dies ille . Et Apostolus Petrus ; *Sobrii* *I Pet. 5.*
estote & vigilate : nam adversarius ve- *v. 8.*
ster diabolus , tanquam leo rugiens , ob-
ambulat , quarens quem devoret : cui re-
sistite firmi per fidem . Quid ergo ? exci-
piat hic aliquis non satis providus re-
rum harum æstimator , an nos juvenes
nasci cupis senes ? an statim , ut mun-
dum & ejus obiectamenta cognoscere
incepimus , ut iis renunciemus , prius-
quam eorum usum sumus experti ? Imo
vero

vero ego vos à voluptatibus & oblectamentis, quæ pecuina, atque homine indigna sunt, & quorum finis est morbosā ac præcox senectus, in qua nihil quam miseria, dedecus, & sera poenitentia vobis reliqua erit; ad animi cultum & vera atque homine digna oblectamenta cupio traducere; quibus corporis vigor servetur, atque animi vigor majora indies incrementa capiat; &

Prov. 16. quibus, ut ait Sapiens, *corona ornatus sit canities, qua in via iustitia reperitur.*

31. Quid enim contemplatione rerum insignium gratius, quid virtutum actione jucundius? de qua Plato dicere solebat, *Si virtus oculis conspiceretur, mirabiles sui amores in animis hominum excitareret.* Et Aristoteles summum bonum, quod in actione sapientiæ ac iustitiæ collocavit, *maxime honorandum & maxime jucundum* propterea asseruit. imo

Prov. 3. & Sapiens noster, *intelligentia pretiosior est carbunculis, & nulla oblectamenta hominis possunt aquari ei.*

v. 15. Experimentum ergo illius capiant, qui ab ea aberrarunt hactenus, & verum esse fatebuntur, quod hactenus ignorarunt. His etenim rebus mens hominis quam proxime ad Angelicam præstantiam, imo

imo & ad ipsum Deum accedit ; cælestemque beatitudinem etiam in hac vita delibat. His oblectamentis delinerti quidam inter gentiles , oculos sibi effoderunt , alii in erema ac solitudines se receperunt , quo melius rerum contemplationi vacarent. Pythagoras , Plato , aliquique longinquas suscepereunt peregrinationes , ut cum aliorum locorum Sapientibus de Sapientia conferrent. Regina Austri relicto regno suo , ad Salomonem iter instituit , ut Sapientiæ ejus dicta ac facta auribus suis atque oculis usurparet. Vobisne ergo grave erit prava flagitiosorum consortia & fœdas cupidinum illecebras relinquerre , ut veris animi oblectamentis fruamini , & mentem rerum insignium notitia , ac vitam glorioſis factis ornetis? Quæritis autem etiam corpori laxamenta ? & ea non adsperrnatur vera Sapientia . Habuit Academia suos hortos , Stoa suas porticus , Peripatus sua ambulacra. Sunt & alia exercitia , quæ Medicorum filii ad corporis sanitatem , & mentis relaxationem commendant , quibus veræ doctrinæ ac Sapientiæ studiis nonnunquam uti ac frui concessum est ; modo ea honestatis limites

non

non excedant, & certo cum modo atque in tempore usurpentur.

Hæc est prima virtus quæ Studioso nostro necessaria est. Altera, huic fere suppar, est *Verecundia ac Modestia. Verecundiam enim, quæ certus ad veram modestiam gradus est, Plato non male virtutis purpura'm appellat, & noster Stagirites eam Adolescentiæ propriam constituit. Sicuti enim arbores fructum non ferunt, nisi primo florescant; sic nec animus juvenis unquam fructus exoptatos producet, nisi hic flos virtutis se primum ostendat. Cui vero frons effrons, & animus ad monita contumax, cui pudor denique periit, is periit, antequam periit: ut recte à veteribus est dictum. Modestiam hanc duabus in rebus constituo, in opinione de se modesta, & in actionibus ac moribus modestis. Multi enim docti ac sapientes esse potuissent, nisi se jam tales esse falso fuissent opinati. Hoc vitium multi juvenum ex Scholis trivialibus in Academias inferunt: qui quoniam inter condiscipulos suos aliquantum eminere se arbitrati sunt, & magistrorum haud illaudabili instituto, ut alios ad diligentiam excitarent, nonnunquam reliquis prælati;*

prælati; omnes alios præ se despiciunt,
& vana sui opinione turgidi, etiam præ-
ceptorum suorum labores pro vilibus
audent habere. Ex Capnione Duarenus
fertur solitus dicere, Adolescentes quum
Academias ingrediuntur, primo anno
in oculis suis esse doctores; secundo an-
no fieri Licentiatos, ac tertio demum
anno vere Studiosos ac discipulos. Id-
circo Pythagoræi discipulis suis quin-
quennii silentium inter condiscipulos
indicebant. Quemadmodum ergo u-
tres vento aut aqua distenti, vini aut
alius pretiosi liquoris capaces non sunt,
nisi prioribus antea liberentur; sic &
animus sui amore, atque inani scientiæ
fiducia plenus, veræ scientiæ capax non
est, nisi vano illo tumore liberetur. Un-
de Socrates apud sui ævi Sophistas, in
eo ante omnia laborabat, ut ipsos nihil
scire convinceret. Et sane juvenis ve-
ræ doctrinæ ac sapientiæ candidatus se-
rio se examinet, & apud se perpendat,
quantulum illud sit quod novit, & quam
multa sint quæ ignorat, hunc sui amo-
rem facile deponet. Augustinus recte;
qui se diligit stultum, non proficiet ad De vera
sapientiam, nec fiet quisquam qualis Religio-
esse cupid, nisi se oderit qualis est. Et Gre-
gorius

gorius in moralibus suis ; ad veram sapientiam pervenire non possunt , qui falsa sua sapientia fiducia desipiunt . Imo ipse Sapiens noster Proverb . 26. ait : *Vidi virum sapientem in oculis suis , sed de stolido major est expectatio , quam de illo .* Opinionem de se modestam sequitur fere modesta quoque morum constitutio , aliena ab omni arrogantia , ferocia , & barbarie . Hinc mitium virginum cultu Musæ omnes , atque Apollo , earum præses , juvenis imberbis ac modesti habitu à vetustate effinguntur . Quia animum ferocem ac truculentum vera doctrina ac Sapientia subire non potest . *Didicisse fideliter artes , Emollit mores , nec finit esse feros .* Et , Nemo adeo ferus est qui non mitescere possit ; Si modo cultura patientem accommodet aurem . Inde factum ut inter Græcos & Romanos , modestius atque humanius educatos , plurimi doctrina ac sapientia præstantes inventi sint ; inter feroce ac barbaros Scythes vix unus Anacharsis . Considerent hoc nonnulli adolescentes ac juvenes Christiani , qui tum demum se vere studiosos , atque Academiarum alumnos perperam arbitrantur , quum ferocia quadam plus quam

quam barbara reliquos homines desplicantur, & genere vitæ plane insolenti florem ætatis suæ maculant: nempe ferociam quandam affectatam, animi magnitudinem somniant; & pectus minnas atque injurias spirans, fortitudinem & libertatem. Sed præterquam, quod à vera fortitudine multum aberrant, quæ, ut ipse Cicero definit, *injurias nullas infert, sed injuste illatas à se aut aliis propulsat*, nihil doctrinæ ac Sapienciarum veræ magis est aduersum, quam inquietum ac tumultuosum hoc vivendi genus. Quemadmodum enim mare ætuosum, & tempestatibus agitatum nullas firmas rerum imagines in se recipit, sed deformes tantum ac turbatas reddit, sic mens turbata atque in affectus varios transuersum acta, insignium rerum species aut imagines intra se recipere aut retinere non potest, sed turbulentas tantum & instabiles. Tranquilla, sedata, modesta, ac verecunda mens doctrinæ humanioris, ac sapientiarum veræ habitaculum est, non tumultuosa ac ferox. Ad Martis castra illi relegandi sunt; non ad templa Musarum & Apollinis admittendi. Imo vero si qui hic sint, qui se per variarum rerum scien-

scientiam ac veram virtutem , ad laudatam militiam parant , cogitent sese non ad illam furiosam , injustam , ac barbaram vocari ; cui Mars Gradivus ac turbulentus à vetustate præfatus fuit ; sed ad justam , fortem , ac prudentem ; quæ virgini Minervæ Sapientiæ Deæ à Gentilibus fuit consecrata ; quia sapientiam , ac modestiam , cum fortitudine conjungit ; & pereas in omnibus cum Marte conflictibus semper superior , ac vietrix à Poëtis singitur . Nempe , plus bello prudentia quam audacia potest , & sedata ac cogitabunda virtus , quam furor : unde & ipse quoque Homerus barbaros in acie tumultuantes ac clamosos , græcos vero suos taciturnos , & μηδέπεια πνέοντες , vim spirantes semper introducit . Exempla in eam rem plurima alia tam sacra quam profana afferri possent , nisi ad ea quæ nobis restant properarem . Inter Gentiles sufficient duo fulmina belli Scipiades , homines tamen extra bellum mitissimi ac sedatissimi . Inter Sacros bellatores eximii Iosua & David , exempla patientiæ , modestiæ , atque humanitatis . Concludo ergo iterum hunc locum
Prov. II. dicto nostri Sapientis : *Advenienti superbia*

perbiis evenit ignominia , apud modestos
autem est sapientia.

His duabus virtutibus Colophonem
ac fastigium addit Pietas , tum erga su-
periores , tum in primis erga Deum ,
omnis doctrinæ ac Sapientiæ fontem .
Quomodo enim proficere ab iis possit
adolescens , quos non diligit , aut non
ut par est æstimat ? aut quomodo adeo-
rum monita se ac studia sua compone-
re , quos non reveretur ? quum primus
Sapientiæ gradus sit , per se omnia co-
gnoscere , secundus vero bene monen-
tibus auscultare . Ideo Sapiens noster in
proverbiis suis veræ Sapientiæ studio-
fos tanquam filios suos passim alloqui-
tur . At quemadmodum Deus omnis
boni fons est & author , ita pietate erga
Deum ante omnia opus est , ut ad ve-
ram doctrinam ac sapientiam perveni-
ri possit . Iehova enim dat sapientiam ,
ex ore ejus scientia & intelligentia pro-
dit : repositum habet pro rectis : quicquid
revera est , scutum pro ambulantibus in
integritate . Ut Salomo loquitur , Pro-
verbior . 26. Et sane si artium etiam Me-
chanicarum scientia , ad Deum autho-
rem referri debet ; sicuti ipsi Gentiles
ductu naturæ coacti sunt fateri , & in

L Taber-

Tabernaculi Mosis , ac templi Salomo-
nis structoribus Scriptura testatur; quan-
to magis illarum scientiarum acquisi-
tio , per quas , aut societas humanæ
continentur ac reguntur , aut corpori
humano suo sanitas , aut animæ huma-
næ æterna salus procuratur. Plato , Py-
thagoras , & ex iis Plutarchus , licet gen-
tiles , ad veram atque eminentem vir-
tutem ac Sapientiam tria conspirare
agnoverunt. Naturam bonam , insti-
tutionem rectam , & Dei favorem at-
que auxilium. At excipiat hic aliquis;
experientia tamē docet omnibus secu-
lis repertos esse homines Literatos , ac
doctos , qui tamen vita non satis proba-
ta fuere , imo & inter eos nonnunquam
aperte impios. Utinam vero hoc plane
à nobis negari possit , Auditores ; cer-
tum tamen est quod respondeam. Licet
eiusmodi homines Literati fuerint ac
docti ; nego tamen vere sapientes fu-
sse : quia sapientia à justitia separari non
potest , ut ipse Aristoteles agnoscit. Et
quo pacto is sapiens sit , qui pius & justus
non est ? quum teste Salomone , *initium*
sapientia sit timor Domini. Et vulgare
hoc ac verissimum sit , eum qui proficit
in literis & deficit in moribus , plus de-
ficere

Prov. i.

v. 8.

ficere quam proficere. Attamen hinc evincitur, inquiunt, doctrinam non esse tantum pietatis ; sed etiam impietatis fructum. Sed ne hoc quidem nobis admittendum est, quia sola pietas habet promissionem vitæ præsentis & futuræ: impietas nullam. Verum enimvero, quemadmodum Deus facit, ut Sol suus *Matt. 5.* oriatur super malos & bonos, & pluit super justos & injustos, ut per hæc bonitatis suæ effecta longanimitatem suā demonstret, atque eos ad resipiscientiam invitet; sic Deus quoque, in hac dispensatione donorum quorundam sapientiæ ac doctrinæ, facit. Piis ac probis ea largitur, ut fructus ac præmia pietatis ac justitiæ, aliis vero ut documenta suæ tolerantiae; atque incitamenta ad resipiscientiam; & nisi hæc Dei beneficia tandem agnoscant, ut vindictæ divinæ adversus eos argumenta. Sic respondet ipse Apostolus gentium iis, qui ex eo solo quod Dei beneficiis in hoc seculo fruebantur, Dei erga se favorem colligebant. *Roman. cap. 1. vers. 4.* *An* dicitias, inquit, benignitatis & tolerantiae ejus ac lenitatis contemnis, ignorans te benignitate Dei ad resipiscientiam duci? sed pro duritiatua, & corde quod

L 2 resi-

resipiscere nescit, thesaurizas tibi iram
in diem ira, & patefactionis justi judicii
Dei, qui reddet unicuique secundum
opera ipsius. Nam à servo qui multum
accepit multum exigetur; & qui talen-
tum quod concessum fuit, in usus Do-
mini sui non convertit, non tantum id
ipsum amittet, sed manibus quoque ac
pedibus ligatis à facie Domini sui in te-
nebras exteriores abjicitur. Nec vero
Deus semper judicia sua adversus ejus-
modi homines, qui dona Dei injuste
detinent, in extremum diem differt;
sed eosdem aliis in exemplum, severe
atque ignominiose in hac quoque vita
haud raro plecit. Talis fuit Saul inter
Reges, Achitophel inter Regum Con-
siliarios, Ioab inter belli Duces, Bileam
inter Prophetas: quorum tristes exitus,
quia ipsorum Sapientia cum pietate
conjuncta non fuit, in Scripturis S. aliis
in exemplum proponuntur. Profanos
plurimos non attingo, quorum exem-
pla ubique sunt obvia; adeo ut Poëta
gentilis ex horum consideratione in
hæc verba erumpere coactus sit,

*Abstulit hunc tandem Rufini pœna
rumultum, (mina rerum
Absolvitque Deos. Non nunc adcul-
In-*

Injustos creuisse queror; tolluntur in
altum

Vt lapsu graviore ruant. —

Eiusmodi ergo doctrina aut solertia à
nobis non quæritur; quæritur doctrina,
ac sapientia constans ac vera, quæ ho-
mini in hac vita honorifica ac salutaris
fit, & ad futuram beatitudinem ducat.
Ea sine pietate, nec esse, nec acquiri po-
test, quia ut Sapiens rursum testatur,
fructus justi est fructus arboris vita, Prov. 11.
quum disciplina imbuit animas sapiens. v. 30.

Habemus, nobilissimi Juvenes, qua-
liter vitam suam instituere Studiosus
debeat. Videamus jam breviter, quæ ra-
tio ei in studiis prosequendis sit ineun-
da. Non ingredior hoc tempore pro-
lixam de singulis studiorum generibus
tractationem, quam ad singularum fa-
cultyatum Professores remitto: quos su-
per hac re convenit consulere. Gene-
ralia tantum monebo, & quæ per o-
mnia studiorum genera se diffundunt.
Possunt autem ea ad hæc duo referri,
diligentiam nempe, & ordinem. Dilig-
entia tantum in omni studiorum ge-
nere potest, ut in magnis ingenii præ-
clarum quid ac singulare hinc soleat
existere; mediocria vero ingenia, per-

L. 3 eam

eam plus semper effecerint, quam sine ea etiam summa. Notus est Apologus concertationis inter Testudinem & Aquilam institutæ; quorum illa iter de quo certabatur prius confecit, quam ille, quia incessus assiduitate hæc Aquilæ moras & diverticula prævertit. Ingenium enim instar ferri usū splēdescit, & exercitatione aptitudinem atque amplitudinem acquirit ad maxima quæque capienda. Si vero neglectim habeatur, aut otio torpescit animus; in similitudinem otii sui, & pigritiæ, in qua jacet, solvitur atque effæminatur. Ut hunc naturæ torporē excutiat Adolescens, summorum in omni doctrinæ genere virorum exempla sibi ob oculos proponat, eorumque vitas non nunquam perlustret: videbit quanta diligentia atque industria ad summum doctrinæ gradum sint enixi. Videbit inter eos Aristotelis pelvim, Cleanthis lucernam, cavernam Demosthenis; & nisi plane sit ignavus, & excors, faces ac stimulos ad eorum æmulationem sibi sentiet subdi: nec Miltiadis trophæum eum dormire patietur. Et licet radix aliquid amaroris in se contineat, fructus tamen ejus magnos intelliget & suaves. Ponat

ponat sibi quoque ob oculos ipsius sapientiae monita, & Deum sua laboribus vendere deprehēdet. Si quasiveris eam, ^{Prov. 2.} inquit Sapiens, velut argentum, & tan- ^{v. 4.} quam abditos Thesauros scrutatus fueris eam, tunc intelliges reverentiam Iehova, & agnitionem Dei consequeris.

De pigris vero & ignavis alibi. Iuxta ^{Cap. 24.} agrum viri pigri transivi, & juxta vi- ^{v. 30.} neam hominis dementis, ecce autem as- surrexerant in ea chamaeleones, super- ficies ejus urticis tegebatur, & maceria ejus destructa erat. Adversus vero cun- etatores & procrastinatores statim sub- jicit, pauculis somnis, pauculis dormi- tationibus, paucula complicatione ma- nuum cubando, interea advenit ut via- tor expeditus paupertas tua, & egestas tua tanquam vir clypeatus. Expergi- scantur ergo procrastinatores illi, & manum operi tandem admoveant. Nam maxima vita ac studiorum jactura, ut Senecæ verbis utar, est dilatio: illa pri- <sup>De Bre-
vit. Vita.</sup> mum quemque extrahit diem, illa eri- pit presentia & certa, dum ulteriora & incerta promittit. Quotidie enim mori- mur, quotidie demitur aliqua pars vi- ta, & tunc quoque cum crescimus, vita decrescit. Infantiam amissimus, mox pue- ritiam,

ritiam, deinde adolescentiam, usque ad
Epist. 2.4. hesternum. De reliquo ergo quod su-
pereſt, cum celeritate temporis utendo
celeritate certandum eſt. Quemadmo-
dum vero illi qui iter aliquod serius in-
gressi ſunt, ut tamen ad locum destina-
tum perveniant, acceleratione itineris
conantur moras antecedentes compen-
ſare; ſic eos qui hacrenus moras nexue-
runt, diligentia ac ſedulitate antegref-
ſas cunctationes vincere neceſſe eſt, ut
ad optatam studiorum metam poſſint
pervenire. Neque ideo tamen eorum
inſtitutum probo, qui totos dies char-
tis impallescunt, vel ſemper libris aut
pugillaribus imminent, nullamque ani-
mo aut corpori relaxationem indul-
gent. Moderata cupimus, moderata
durant. Deus ipſe festa profestis variavit
in Rep. ſua: certas horas quieti ac refe-
ctioni, certas labori atque operi desti-
navit. Nec ergo animus nimia conten-
tione corpus, nec corpus animum ni-
mio labore conficiat. Cupiam ergo
matutinum tempus ante omnia ſtudiis
occupari; Aurora enim amica Muſis;
& ut Hesiodus canit,

H̄as γδ τ' ἐργα τείχιν διπομέπεται
αἰσθεῖσθαι.

A 18-

*Aurora tertiam diei partem sibi ven-
dicit.*

quum natura nempe elaborando nu-
trimento non amplius intenta , ani-
mum ab aliis cogitationibus vacuum
præstat; & ingenii vigor novas per quie-
tem vires collegit. Quod ipsum quo-
que de horis cœnæ tempus antecedentia-
tibus statuendum est ; nisi quod gra-
viora ac maxime seria studia in horas
matutinas optime dispensantur ; leviora
vero , & tantam animi contentionem
non exigentia , pomeridianis commo-
dissime dividuntur. His adjungatur at-
que interponatur lectionum publica-
rum , atque aliorum exercitiorum Aca-
demicorum diligens observatio. Non
tantum ut virorum Eruditorum labori-
bus fruatur Studiosus , & exemplar stu-
diorum privatorum ex illis sibi desu-
mat; sed quia audita quoque quam lecta
magis animo hærent , & hæc suavis al-
ternatio animum doctrinæ ac sapientiæ
studiosum minus fatigat. Nec vero Pro-
fessoribus facultatis suæ , nonnunquam
latus claudere , aut consulendo , ac con-
ferendo , si quis scrupuli hærent , molestus
esse metuat ; modo id in tempore &
sine pertinacia faciat adolescens : quia

L 5 nihil

nihil iis gratius evenire potest aut debet, quam si animum discendi cupidum in juventute perspiciant, ac lumen de lumine suo iisdem possint accendere. Tempus prandio aut cœnæ proxime succedens, honestæ recreationi aut eruditæ confabulationi, aut sedatæ ambulationi, aliisque mitioribus exercitiis impendi valetudo suadet. Lucubrations autem nocturnas, quibus corpus gravatur & animus hebescit, morosis potius ac Saturninis ingeniis, quam vividis & ad res gerendas natis relinquendas judicant, qui earum incommoda cum damno suo sunt experti. Si quid tamen memoriæ infigendum est, id exiguo ante somnum intervallo, magno cum fructu relegitur, & una cum ipsa corporis quiete, animo ab aliis curis vacuo de nocte imbibendum committitur, ut sub proximam auroram, tanquam ex fida custodia, inde eo promptius repetatur. Temporis convenienti dispensatione sic semel instituta, reliquum est ut modum atque ordinem, quem in scientiis aut artibus addiscendis servandum arbitramur, paucis expponamus. Ordo autem ille consistit vel in consecutione scientiarum ac rerum quæ

quæ sibi mutuo inserviunt, vel in ipsa
authorum unius alicujus scientiæ aut fa-
culty electione, aut lectione. Lingua-
rum atque artium organicarum noti-
tiam, studio nostro ex ludis literariis
in Academias inferre, non ex iisdem
primum petere par est; quemadmo-
dum & reliquarum quoque Philosophi-
carum scientiarum fundamenta. Aut si
quid horum ibi neglectum, ex privata
potius Magistrorum disciplina, quam
publica institutione ea sunt supplenda.
Academia earum prima rudimenta vix
tradit, sed majorem cultum ac perfe-
ctionem iis addit. Hoc unum monendi
hic sunt adolescentes, ne in disputatio-
ne de ipsis præceptis, aut aliis non ma-
gni momenti rebus, quæ nullum extra
Scholas usum habent, nimium tempo-
ris insument; sed solida earum scientia
instructi ad ipsas facultates (ut vocant)
mature transeant. Nam de illis nemo
dubitabit quin operose nihil agant, qui
in questionum inutilium studiis ver-
santur. Græcorum iste morbus olim
fuit, teste Seneca; utinam ne & Christia-
nos invaseret inane studium superva-
cua discendi! Ars enim longa & vita bre-
vis; ac paucis, ut in omnibus excellant,
est

De Bre-
vit. Vita.

est concessum. Neque propterea patrocinamur illis , qui uno aut altero authore percepto, atque, Academiis vix à limine salutatis , statim se facultatis aliquujus Magistros profitentur : & omnis elegantioris doctrinæ imperiti ac vacui, cum scientia aliqua vix dimidiato percepta, meram barbariem in usum suæ artis denuo introducunt. Avorum nostrorum memoria hoc monstrum ex Rebus publicis Christianis vix magno labore exterminatum fuit ; videant eruditionis veræ alumni, ne sua culpa ac festinatione obsoletam barbariem in easdem reducant. Quando ergo supervacuorum laborem dissuademus, non idcirco elegantium autorum lectioñem improbamus , aut variarum rerum eruditionem : quæ singulis facultatibus ac vitæ generibus ornamento , & maximo adjumento sunt. Imo etiam dum facultatibus ipsis studetur, ad alios Literatos scriptores nonnunquam divertere non tantum jucundum, sed utile quoque Studiosis : quia mens hac varietate nonnunquam reficienda est, quæ alioquin in uno nimium defixa torpescit, aut fatigatur: & tum commodissime Literarum quoq; usum perspicit,

spicit , quando in rerum seriarum indagatione , ac contemplatione versatur. Theologia autem , Iurisprudentia , Medicina , aut vita denique Politica & Literata , studiorum nostrorum præcipue hic scopus est ; in eum hic potissimum collimandum. Eligantur in hunc ergo autores optimi ac laudatissimi , in primis qui plurimis , doctissimisque probati sunt , & vetustatem tulerunt : quorum judicium à singularum facultatum vel mutis vel vivis Magistris cognoscant earum candidati. Ex iis primo compendium aliquod sibi proponant , in quo totius scientiæ aut artis compages ac structura simul menti repræsentetur. Inde demum ad eos qui velle eadem fusius atque exactius pertractant , vel de singulis scientiæ illius partibus tractatus ubiores conscripsere : ut quæ compendiose antea cognita sunt , tota amplitudine sua postea patescant. Quemadmodum enim qui aulæum aut picturam aliquam penitus cupit cognoscere , totam primo imaginem ac textum ejus , atque omnium partium inter se connexum ac proportionem lustrare solet , postea vero singularium partium decus atque artificium ; sic etiam in scientiæ

scientiæ atque artis alicujus plena comprehensione fieri consentaneum est. Neque arbitretur adolescens se in compendio tali ediscendo frustraneam operam ponere, quia in ampliori earum rerum tractatione eorundem forte sit repetitio. Nam scientiæ aut artis alicujus præcipua fundamenta non semel sed iterum atque iterum inculcanda sunt, ut animo hæreant: quia tantum quisq; tenet quantum meminit; & nunquam singularium partium usus aut dignitas, eo quo par est modo comprehendetur, nisi quomodo cum reliquis cohæreant, & quem ad se mutuo respectum partes habeant, ante omnia sit perspectum. Hoc fundamento jam semel & firmiter jacto, tum se in aliorum ejusdem generis librorum campum liberius immittat noster studiosus, quia quo unumquodque referri debeat rectius capiet. Interim tamen ut Senecæ verba & præcepta vobis reponam, illud videat adolescens, ne ista lectio multorum authorum, & omnis generis voluminum habeat aliquid vagum & instabile: certis ingeniiis immorari, & innutri oportet, si velis aliquid trahere quod in animo fideliter sedeat. Nusquam est

Epist. 2.

est qui ubique est. In peregrinationi vitam agentibus hoc evenit, ut multa hospitia habeant, nullas amicitias; idem accidat necesse est iis, qui nullius se ingenio familiariter applicant, sed omnia cursim & properanter transmittunt. Non prodest cibus, nec corpori accedit, qui statim sumptus emittitur. Nihil aque sanitatem impedit, quam remediorum crebra mutatio. Non venit vulnus ad cicatricem, in quo crebro medicamenta tentantur. Non convalescit planta, qua saepe transfertur. Nihil tam utile est, quod in transitu prosit. Distrahit animum librorum multitudo. Itaque cum legere non possis quantum habueris, sat est habere quantum legas. Sed modo hunc librum evolvere volo, modo illum. Fastidientis stomachi est multa degustare, qua ubi varia sunt & diversa, inquinant, non alunt. Probatos itaque semper lege, & si quando ad alios divertere libuerit, ad priores redi. Hoc igitur viri hujus docti ac sapientis monitum, animis quoque nostris altius insigamus, atque audiendo, meditando, disputando, scribendo, conferendo sive cum superioribus, sive cum æquilibus, eorum authorum sententias nobis fami-

familiares reddamus, qui ab omni ævo
in singulis scientiis, ac facultatibus pal-
mam tolerunt, aut nostro ævo à viris
præstantissimis semper cæteris præpo-
siti sunt: in reliquis ut hospes aut ex-
plorator versetur adolescens, in his ut
mansor & inquilinus. Nam,

O ἀγέντη μὲν ἐιδὼς, οὐχὶ οὐ πολλὸν ἐιδὼς, σο-

φός.

*Qui fructuosa, non qui multa seit,
sapit.*

Quemadmodum ergo apes certis fere
campis insident, quos identidem repe-
tunt; cæteros vero non inanes aut sine
fructu transvolant: sed flores hinc inde
collectos ac decerptos in alvearia quo-
que sua deferunt, & certis distincta cel-
lulis disponunt; sic & ex aliorum au-
torum lectione sua quoque adversaria
augeant Studiosi, & ea quæ inter cætera
eminent, aut usum insigniorem con-
junctam habent, in suas quoque sedes
ac locos digerant; ut ea, tanquam ex
Thesauro aliquo, quando opus erit,
in usus suos depromant. Alioquin qui
semper legunt, nihilque inde eligunt
aut colligunt, perinde faciunt, ut illi,
qui multarum regionum oras radunt,
& urbes præternavigant, sed nullum
alium

alium inde fructum referunt, nisi quod
se eas vidisse possint memorare.

Hæc sunt, nobiliss. atque ornatiss. Iu-
venes, spes Ecclesiæ, & Reip. quæ de ve-
stro officio vobis proponenda habui.
Vestrum est ea serio apud animum ve-
strum expendere, & ad usus vestros ap-
plicare. Vobis hic proprie, non nobis
seritur aut metitur; nisi quod magnum
operæ pretium nos consecutos fore ar-
bitrabimur, si Patriæ multos bonos ci-
ves, Ecclesiæ fidos atque eruditos Pa-
stores, & Reip. prudentes Rectores ac
Medicos ex hoc Reip. atque Ecclesiæ
Seminario possimus sufficere. Deus o-
ptimus maximus hoc ipsum, quod ha-
stenus verbis suasimus, per Spiritum
suum animis vestris plene persuadeat.
Quod ex animo voveo atque opto.

D I X I.

F I N I S.

H Y M -

H Y M N V S A D D E V M ,
O B R E S T I T V T I O N E M
omnium rerum per adventum Veris.

Vix roseos astrorum ignes sub luce corusca
Prefferat exoriens tremulus ex aquoris undis
Prævia lucifero mater Matuta diei,
Cum mihi vernantis Zephyri vegetabilis aura
Dispulit irriguum per membra refecta soporem,
Elicuitque thoro. Video Clementis Olympi
Temperiem, adstrictos hyemis torpore vigores
Solvier igne novo cæli, fœcundaque rerum
Seminia è gremio terrai matris in auras
Exciri, campos humiles atque obſita dumis
Culmina fronde ſua, viridigz umbrescere amictu.
Adspicio varias circum ſupraque volucres
Mulcentes tenuem liquidis concentibus athram.
Enigitur quid agam? dum cuncta vigore repleta
Gratantur reduci Phœbo, dumque omnia mundi
Instaurata nova gaudent virtute, ego ſolus
Torpebo, & veterem ſub corde fovebo veternum?
Qui ſolus ſublimis eo, ſublimia mentis
Lumina ſpectandi his ſortior. Haud ita: ſegnes
Ergo rumpo moras, juvat evaſiſſ latebras
Tectorum, & nitido mentem oblectare sereno.
Cæli auras haurire juvat, propiusque parentis
Naturæ luſtrare ſinus. Sed quisnam ea fando
Singula commemoret, qua divite copia cornu
Fundebat. Primum dextra de parte renidens
Cæruleis diſtincta notis tentoria Phœbus
Egreditur, rutilasque comas mortalibus agris
Dividit. extemplo quæ prata jacentia nubes
Veftierat, tenui ſurgens pellucida fumo,
Sese aperit, puramque fugax vanescit in athram.
Iamque ſuis color eſt herbis, jam pendula paſſim
Roris

Roris gutta viret, gemmasque imitata nitentes
Illudit variis adverso sole figuris.
Purius irrigui jam rura videntia rivi
Percurrunt, trepidique suo confinia mordent
Accubitus, vegetasque herbis poscentibus auris
Sufficiunt. Vitreo nec stagna liquentia vultus
Torpescunt. illic examina lubrica, pisces,
Exultim ducunt choreas, agilique natatus
Prævertunt celeres liquido sub gurgite visus.
Quies juvenū pellax muscoſo in margine dextra
Fallaces struit infidias: hic pronus in undas
Tortam nodosa ſuspendit arundine ſetam
Illicibus prætextam hamis; ille humida tendit
Lina, trahens varias damno majore ruinas.
Quis vero aetherei ſpacium diffusile campi
Tranſeat? Alitum pluma hic rutilante cohortes
Lucis inardescunt radiis, tremuloque volatis
Effingunt flexus alios, aliosque reflexus.
Pars fecat auratis obliquo limite pennis
Aëra; pars crebro alarum ſuper ardua ſcandit.
Nubila remigio, variis ſolata laborem
Gutturis arguti modulis: pars denique caſu
Præcipiti tacitis tellurem adlabitur ali.
Arboris hæc tenerum facili libramine ramum
Inſilit; illa humili gaudet mage graminis umbra;
Hæc ſibi furtivum roſtri molimine nidum
Suspendit, plexum fingens teretem atq; refingens:
Illa ſuæ Veneris jam plena caloribus ova
Fæta parit; mollique fovet connifa labore
Corporis: exclusi ſe alibi plumescere fatus
Mirantur: quos ſollicita pietate revisens,
Vel querulos multo mater ſcrutata volatis
Eſcarum cibat illecebris, vel forte repertos
Si puer immixtis nido detraxerit aethram
Quæſtibus immodicis, luſtuque recente fatigat.
Ipſa etiam gremio tellus gavisa patenti

Cæſteſ

Cælestes exceptit opes, totosque per artus
Diffudit, vultuque hilari testata favorem
Ætheris, insolito sese ostentabat amictus.
Ac primum viridi sese tener horiulus umbra
Prodit, ubi varios vernalis Flora decores
Sparserat. hic fusco serpunt violaria cultu,
Candidaque enodi pubescunt lilia culmo:
Illic ipse sui marcens Narcissus amore,
Caruleum niveo vitiat discriminé fucum.
Quid referam natos alio sub sole, renatos
Sole alio; suetosque plagiis surgentis Eoi
Ante, peregrinis adsuecere cultibus? Illinc
Æmulus augusti diadematis Imperialis
Flos rubet: hinc flavo primum contenta capillo
Adsuefit varios imitarier arte colores
Tulipa; multiplicis sinuosa volumina texti
Tæonia stringebat apex; Irisque, videri
Quæ poterat, viridi sese occultabat amictus.
Quid referam varios induita rosaria cultu?
Quid florum varios habitus, variasque figuræ
Commemorem? quos Flora parens cœlestibus auris
Fata tulit, Phœbique calor revocavit ad ortum.
Ac velut i piñis aulæ animare figuris
Barbarica qui certus acu, primum ordine longo
Effigies tenui confusim ostendere ductu
Occipit, hinc varias paulatim educere formas;
Hæc tenui splendore notat, pleno igne magistra
Exprimit illa manu, dubiisq; ea deprimit umbris;
Inde minutatim varii sinuamina texti
Ditat opum pretioso auctu; jam serica neëtit
Tuniceum mentita crocum, cælo inde sereno
Æmula; jam argentiflgentia fila latenter
Insinuat, ductique comas interplicat auri:
Donec ea in varios habitus, spirantiaque ora
Induit, augustâ regale ornamen in aula.
Talis erat terræ varie florentis imago,

Hic

Hic Floralis honos tenera viridabat in herba,
Confuso prodens se habitu; pars inde fluenter
In nodum collecta sinus, distincta videri
Cœperat, externo meditans discrimina ductu;
Pars variis apicem rimis effracta virentem
Indicat inclusumque decus, seseque tumentem
Non capiens, vacuas erumpit aperta sub auras,
Effusaisque expromit opes, exponit honores.
Quid vero Medicas stirpes, Phœbique potentes
Herbarum enumerem fœtus? quos rore recenti
Imbuerat cœlestè jubar. quid odore benigno
Fragrantes, olerumq; comas? quas sponte per agros
Dissévit Natura parens, variisve coacta
Artibus humanos genuit clementer in usus.
Quid referam arborei generis plantaria, vel quæ
Infœcunda solo surgunt, sed fortia; vel quæ
Spe fructus avidum lactant fœcunda colonum?
Hæc frondis solius honos, flore illa comata
Tuniceo, varius passim decorabat amictus.
His tenuis gummi fluit internodia circum
Lachryma, & albentis scintillæ effulgurat ignis.
Aut viridi musto cortex obducitur. illis
Tura superficies cultorum prodit amores
Incisos, crescuntque libro crescente. Nec inde
Pratereo lato cerealia dona per agros,
Iugeribus dimensa suis; ubi mæsis in herba
Lactenti beat agricolam, vel firmior horret
Culmus, & è viridi teneram meditatur aristam
Prodere folliculo, vel florem induit recentem
Æthereum blande circum diffundit odorem.
Quid vero pecudum, quid luxuriantia campis
Agmina tarda bonū, quæ morsibus obvia tondent
Gramina? quid capreis, aut ubera laxa juvencis
Commemorem? vel mane vigil quæ lata laborum
Rustica siccarat primum surgentis Eoi
Ad radios, niveo referens spumanzia latè

Cymbia,

Cymbia, vel matrū quæ corpora pendulus hædus
Mulserat, adsueto testatus gaudia lusu.
Sic agiles ergo hoc oculos sic volvimus illuc.
Qualis se vitreo speculi miratur in orbe
Virgo decens, jam flaventis discrimina cinni
Obstupet, & flavum pulchre redimentia cinnam
Flamea, jam furtim teneras jaculantia flammæ
Lumina luminibus tacitis obit, inque genarum
Orbibus errantem gaudet candore ruborem.
Nec vidisse semel satis est; velit usque tueri
Exanimi vultus nunquam satiabilis umbra,
Ni mentem feriat pensi melioris imago.
Talis ego, varias varia sub imagine rerum
Natura iurgentis opes dum lustro, stupentique
Obtutu desixus eo, cupiam usque morari;
Ni revocet naturæ autor, mentemque sibi ipse
Postulet, irato tam longa silentia vultu.
Ergo age mens, age lingua, haud in vidiosa Parens
In laudes exurge tui, rerumque satori
Solve suos vocis modulo incunctanter honores.
Tu Pater es cui laus omnis, cui gloria soli
Debetur, tu in Trino unus, tu Trinus in uno,
Lucis inaccessa circum fulgentis abyssō
Cingeris, in te habitans, in te omnia circūplexus,
Principium sine fine Pater, genitura perennis
Æterni Patris sapientia, nexus utrumque
Suave ligans aquævus Amor, Amor ortus utroq.
Tu Deus æterno mentem devinctus amore
Rupisti æternas tenebras, confinia lucis
Iunxisti: tu templa isthæc diffusilis æthræ
Fornicis in morem circumcamerata, perenni
Lege ligas, denos impletens orbibus orbes.
Quorum qui decimus, supero discrimina seculo
Ponit: ubi cælestum acies cælestibus alis
Authorem circumvolitant, gens sancta, sacrissq.
Promta ministeriis, nostroque exercita mundo.

Tn

Tu nitidis stellarum oculis, tu fœdera solis
Lunaique globo statuis : tibi militat uni
Suavibus obsequiis chorus astricus omnis Olympi.
Tu liquidos æthræ tractus, atque aëris alti
Fœcunda virtute repletus ; tu quicquid in orbe
Miramur, quicquid cæca ignoratio Sorti
Affingit, quicquid male-sana scientia matrè
Naturæ, tu solus agis ; tu solus ab alto
Obtendis tenues sinuosis nubibus auræ,
Ind:gaque exsaturas pluvias genialibus arvæ:
Tu solus premis Æolios & promis alumnos:
Imbricitor tibi flat Boreas ; tibi pura Favonii
Aura fluit ; tu marmoreis è fluctibus undas
Fætorum laticum secreta per intima terræ
Sursum agis; æthereos haustus, igneosque vigores
Omnibus implicuisti unus. jamque insita rebus
Principia idem unus refoves: hinc divite cornu
Fundit opes varias te prolixciente sub auræ
Terra parens ; rursum te destituente recondit.
Hinc varie species animorū animantiibus ; illinc
Concipiunt alius diverso tempore motus,
Quæq; secant liquidū rurilantibus æthera pennis;
Quæque per herbosos carpentes gramina campos
Luxuriant ; quæque adsueta ferioribus ausis
Venatus invigilant, latebrisque vagantur opertis;
Quæq; profunda cavis sulcantes aquora pinnis,
Ingeminant varios liquido sub marmore lapsus.
Nos igitur, quorum divina faventia mentes
Igniculo accedit sacro intellectilis auræ,
Te solum rerum dominum, rerumque Parentem
Laudibus evehimus ; te Majestate verendum
Supplice adoramus vultu , virtute potentem
Ausu humiles tremimus, facto sapiente stupendū
Miramur mente attoniti , bonitate benignum
Devoti cordis sincero ardemus amore.
Tu vero, qui nos Stygiis è fangibus Orci

Lauda-

Luctans cum morte rapis, qui Cælica nobis
Templa aperis, pura sacrati flaminis unda
Etue concretas infecto è pectore labes.
Pelle animo tenebras; ut sic super astra choreas
Inter Olympiacas, sincero luce vigentes
Vsurpent oculi mentis tua Numinia, corque
Nectareis plenum succis te spiret, & unum
Vnice amet, totique adeo sine fine fruamur
Lætitia, cui nulli oculi, nullum alite vento
Acrius ingenii fœse insinuavit acumen.
Tum demū certatim alacres, digneque canemus
Laudem animo juges indeficiente tenores.

F I N I S.

THEOD.

THEOD. SCHREVELII
AMBI MORALES

A D

Ethicam Aristoteleam

D. ANTONII VVALAI.

M

E T

D. A.

Metaphysic

D. Th

V A



Lana pte
Potens Ec
Affavit
Autacina
Grafz
Iquedippe
Vl dene
Menimell
Montalvo
Et fuccur
Profanap
Licensay
Domada
Feror Iure
Sequa se
Ait bland
Pietas ref
Iam sign
Proscripta
Ex alma vir
Probrogus

THEATRUM MORTALIS

ENGLISH

1555. 1556. 1557. 1558.

12

E T H I C A

D. ANTONII VVALÆI

Metaphrasi Poëtica Iambici carmi-
nis adumbrata,

Authore

D. THEOD. SCHREVELIO.

QVÆ Parca dira? virgo quæ Cocytia? *Authoris*
Aut fæta monstros Eumenis nocen- *querela*
tibus *de corru-*
Caliginoso Ditis inferni specu *ptis facu-*
Laxata pridem? Noctis atræ filia *li mori-*
Potens Echidnis, sæviorque Erinnye *bus.*
Afflavit orbem? Solis infecit diem?
Audaciæque tristis incendit facem?
Grassata late, quaque Phœbus occidit,
Et qua resurgens lucidum extollit caput.
In damna præceps fertur humanum genus,
Mundus fatiscit, omnia in pejus ruunt,
Mortaliumque pectoti infedit furor;
Et succus atræ pestilens lolidinis.
Profana plebes, contumax puertia,
Licentiæque, ludicrisque dedita:
Domanda nulli spiritus altos gerit
Ferox Iuventa, cerea ad quodvis nefas,
Sequax malorum, quæ voluptas imperat,
Aut blanda jussit Cypris, aut potens Amor;
Pietas refixit, impiorum factio
Iam signa tollit, fugit è terris Themis
Proscripta mundo, regnat infandum scelus;
Et alma virtus cœpit (heu) contemptui,
Probroque haberi, venditur pretio decus;

M 2 Excessus

I A M B I

Excessit orbe candor, & decens pudor:
Pecuniarum luxus ingens helluo,
Decoctor æris, otioque marcidus
Cæcam juventam traxit in casses suos.
Et docta Circe vertere in sues viros
Potens, venenis robur enervat suis.
Tum vitia quævis , fastus, & mores mali
Crevere, pravo sæculi commercio.

*Philos- Non hæc Machaon doctus , aut Cous fener,
phiam Curabit ægri pectoris contagia .
mederi Cultura mentis , artium Sophie parens
animis, Donata cœlo , pignus & munus Dei;
eam verā Vitæ magistra , prima virtutum comes
animorū Feret medelam, restitutrix robotis,
medici Solatiumque Socratis Scholæ dabunt ;
nam. Qui disciplinas evocatas cælitus
Moralis Deduxit astris , & receptas urbibus
Philos- Morum magister intulit Penatibus:
phia au Cives coëgit, posterosque Cecropis
thor So- Præcepta vitæ discere , & verum decus,
cyates. Beatores & deinceps vivere.*

Et quæ secuta nomina Actæum senem,
Speusippus acer, Crantor, & princeps Plato;
Et illa stirps Asclepia , & dium genus,
Machaonisque creditus verus nepos,
Iubar Stagiræ, sæculi miraculum,
Feret levamen ulceri Chironio ;
Et tollet omne quidquid in vita mali,
Morumque tradet regulas recti arbitret :
Nam quid repugnans , quidve Naturæ placens,
Collegit unus, imbuens natum pater ;
Ethica A- Eudemiumque Theseum datum sibi :
rist. Nico- Quæ norma recti, quod sit extremum boni,
machica Et hinc, & inde limites justi dati
& Eude- Æquo, bonoque , quodque Virtutis decus.
mia. Hæc cuncta lege carminis comprehendere

Præ-

M O R A L E S.

Præcepta, virtus suasit, atque ardens amor.
Favete Musæ, tuque Musarum pater
Apollo, vatis orsa vocalis juva.

Sed ne vagemur, disciplina Socratis
Moralis illa, quæ vocatur Ethice,
Determinanda finibus primum suis,
Hæc actionum, & praxios scientia est,
Non nuda rerum notio, sed quatenus
Fines honesti respicit felix homo.
Objecta quippe non inertis Ethicæ
Sunt actiones, quas honestas præcipit,
Et alma virtus sueta rectum tradere.

Divisa justis partibus Scientia
Nec uniformis, vita moralis duplex.
Diffusa late quodlibet tractat prior
Genus actionum: proxima objectis sibi
Intenta certis, respicit verum bonum.
Verum ut sequamur ordinem tritum magis
Scientiis, virtutibusque practicis,
Præcepta primum pauca de summo bono,
Dein media tradam, sumpta virtutum choro,
Et quæ ad supremum læta perducunt bonum.

Apex salutis, quoque nec majus bonum.
Homines fatemur, dicitur Felicitas,
Beatitudo, quæ recomfortis mentibus
Æquare dia posset humanum genus.
Sed quis sit ille terminus summi boni
Cœlo locandus, numinique proximus,
Mens bruta nescit, hæret obtutu stupens.

Vulgus profanum quærit in bonis bonum,
Solos beatos dictans ter, & quater,
Qui multa possunt, quique multa possident,
Atque invidendas regibus gazas tenent,
Quas aut superbo dives auri gurgite
Eructat Hermus, aurifer volvit Tagus.
Pulcherrye Ganges, quasque sub terris opes

Invoca-
tio.

Philoso-
phia mo-
ralis de-
finitio.

Pag. 13.

Philoso-
phia mo-
ralis di-
visio. pag.

15.

Felicitas
& *Beati-*
tudinis
summi
bonum.

pag. 20.

Vulgi o-
pinio de
summo
bono. pag.

23. 24.

I A M B I

Erebo reposatas fodit intactas Iber.

Politico- Sunt qui perenni gloriæ magis student,
rū opinio. Arabumque gazis , præferunt famæ decus,
Pag. 24. Pulchrumque credunt omnium præconiis
Per ora ferri , tollere ad cœlum caput:
Et quem perurit gloriæ major sitis,
In dignitate collocat summum bonum,
Miratus ostrum, & purpuram latæ togæ;
Trabeas tigentes aureo subtemine
Stupet ; triumphos , laureamque somnians.
Solum curule ponit in bonis ebur.

Epicureo- Neocle nato, cæteris & asseclis,
rūm de Placuit voluptas sola & indolentia
summo Mætoris expers, seu voluptas corporis,
bono opi- Seu mentis ista fuerit , intactum volo.
nio. pag. Damnatus error , vindicata veritas,
26. Olim Sophorum calculis justis datis.

Philoso- Communis ista , & sanior sententia,
phorum Virtute sumnum docta metiri bonum:
cōmuni In hoc Sophorum tota consensit cohors,
opinio. In hoc Lycea, Stoæ consensit bonum,
pag. 29. Nec non Platonis CecropI umbrosæ scholæ.

Virum Resultat ex his quæstio, sed nobilis,
summum Vtrum supremum maximumque sit bonum,
bonum in Virtutis habitus, an sit ejus actio ?

actione Hinc Stoæ certat , & scholæ Zenoniae,
fit, an in Illinc Lycea ; salva cuique authoritas,
habitu, Ratioque constat, veritatis regula.

quæritur Si segregata partium divertio,
pag. 30. Vnita demus, stante semper copula.

Bona ex- Sed quæ feremus corporis tandem bona?
terna quo Distincta resto, robur, & formæ decus,

loco ha- Fortuna quæ vel blanda largitur bona,
benda. Census, honores, stemmata, atque opes Midæ,

Pag. 33. Contemnit ista porticus Zenonia,
Placent alumno, quem Stagira sustulit,

Atque

M O R A L E S.

Atque expetenda vera contendit bona;
Illustriorem quod dedere gloriam.

Accedit illud, quod comes summi boni
Suavis voluptas sit, beatis mentibus:
Verum Platonis altius sese levat
Mens dia magni, collocans summum bonum
In visione numinis, quod est Deus;
Pulchrasque Ideas mente concepit Plato.

Felicitatem pandimus finem boni:
Media supersunt; proxima ad metam est via
Aut ipsa virtus, sive virtutum chorus.
Quæ digna sedes? quodve subjectum capax
Virtutis almæ? Quod sit objectum? cui
Intenta virtus? Quique Naturæ decor?
Quærenda porro, deinde virtutum nota,
Et singularum non tacula nomina.

Regina virtus Mentis in sacrario,
Animæque in arce tota majestas nitet,
Cum Mente regnat, cumque parte principe:
Intus malorum quidquid est Affectuum
Subesse cogit, efferos motus domat,
Metum repellit, spemque vel cassam fovet:
Sanat dolores, ponit irato modum;
Et quod voluptas suscitavit gaudium
In mente claudit, & silentio premit:
Cupidinumque tollit impetus leves,
Et leniores, atque ferventes nimis,
Quos Hellas audax propriè vocat *naijn*.

Iam quæ bonarum causa virtutum efficax,
Non una mens est omnibus. Cous senex
Pater medentum, & natio Galenica,
Virtutis esse proximam causam volunt
Bene temperatum corpus, & plenum salis.
At Stoicorum secta, naturæ magis
Tribuenda censet prima recti semina.
Natus Stagiræ, principes causas facit,

M. 4

Platonis
opinio, &
Idea. pag.
42.

Media
ad sum-
mum bo-
num vir-
tutes.
pag. 44.

Anima,
subjectū
virtutū,
affectionib.
imperat.
pag. 45.

Virtutū
qua car-
sa effi-
cientes.
pag. 64.
Medico-
rum sen-
tentia.
pag. 58.
Stoicorū
sententia.
Stu- pag. 52.

I A M B I

Aristote- Studiumque longum, & actiones perpetue;
lis sentē- Et comparari summa virtutum putat
p. 61. Crebro laboris usu, & assuetudine.
 Nec vana jactant, quotquot acceptum ferunt
 Morum profectum litterarum cultibus:
 Didicisse quippe litteras fideliter,
 Mollite mores credidit Naso feros.

Virtutis His ventilatis, colligi recte potest
accurata Quod alma virtus habitus, & electio est,
definitio. Medio reposta, quaque vel nos respicit,
p. 69. 70. Vel metienda mente prudentis viri.
 Verum ista quid vult pertinax *αρχείστις*?
 Electione libera quidvis agit.

Huc refe- Coacta virtus nomen amittit suum,
renda Αὐτόνομη τε damnat, ut quodvis malum;
Sponta- Seu sponte fiat, seu per oscitantiam.
neum & Natura Morum Practicæque essentia.
Invitum. Virtutis ista est, Phœbe conatus juva
pag. 83. Favens Iambis, donec ad finem manu
 Et umbilicum cuncta perducam suum.

Ethica Morata virtus nobili scientiæ.
particu- Subiecta, rursum sedibus distat suis :
laris di- Vni voluntas, impetusque Affectionum
visio in Concessa sedes; alteri vis ignea
Dianoe- Intelligendi, mentis integræ vigor.
ticam & In membra rursus more commendabilis
Ethicam. Divisa virtus, partium distat gradu:
pag. 108. Vna inchoata, & Semivirtus dicitur,
 At plena virtus altera, & perfectior.
Virtus a- Nam sive rectos pectori immisit satus,
lia In- Bonæque mentis semina ex ortu dedit,
choata, Diaæque parvas subdidit menti faces
Perfecta Natura sollers, semper augmento tamen
alia. pag. Intenta virtus, respicit majus bonum.
 108. Verum inchoatas primitus, dein cæteras
 109. Perfectiores prosequemur ordine,

Quan-

M O R A L E S.

Quantum licebit lege servata metri.

Hic Semivirtus prima , Continentia est,
Sedemque jure principem sibi vendicat :
Hæc quod decorum quodque sit rectum capit,
Motus rebelles , & cupidinum feros,
Laborioso prævalens certamine,
Retundit iætus , fortis & tandem domat.
Sed Continenti Incontinens opponitur,
Qui concupitis vincitur facillime :
Ratio repugnat , non repugnat impotens :
Sed sponte cedit, vicitus indulget sibi :
Eoque differt Temperante Continens,
Quod ille motus , impetusque affectuum,
Libidinumque frænet impotentiam,
Nulla laborans ardui molestia.
Tales Pericles, Scipio recti tenax,
Xenocratesque, nuda quem risit Phryne.

Hinc Semivirtus altera est Tolerantia,
Quæ dura patitur, & dolenda sustinet,
Suffert dolores, bilis intus æstuat :
Ratio repugnat mentis impotentiaæ.
Moderatur iram, nec doloti succuba,
Nec mollis audit destituta robore.
Laudatus olim callus Actæi senis,
Pompeius ingens, Codrus, & magnus Cato:
Et vindicanda oblivii rubigine
Intaminata Reguli constantia.

Nec Semivirtus est silenda tertia,
Submissa Peitho. Mentis hæc affectio est
Morata recte, quæ potentioribus,
Atque eruditis audiens dicto venit,
Libensque paret , recta cum mens imperat;
Et cæterarum norma virtutum cluit;

Felicitatis alma dicit ad viam.

Perfectæ
Virtutes.
In alta tendit, Cœlitum spectans domos,

Semivir-
tutes. p.
108.
109.
Continen-
tia, grac-
i synog-
tda. pag.
111.

Toleran-
tia, rge-
tecia.
pag. 112.

Obedien-
tia. pag.
113.

Perfectæ
Virtutes.
pag. 114.

M. 5

Bea-

F A M B R

Beatiorem quærit in cœlis locum.

Pertusa terras, astra felix cogitat,

Erecta sursum vertice in cœlum dato.

Fortitudo Has inter agmen ducit invicta manu.

audacia. Virile robur, quæque virtus mascula,

pag. 116. Audax virago, præliisque interrita:

Non in lacertis viribusque corporis,

Quales leonum, collocat fiduciam,

Sed mente forti sufferens quævis mala,

Objectum Compescit iram, spiritus mares domat.

Fortitudinis internū & Acres dolores concoquit viætrix sui.

Nec extimescens pallida formidine,

Periculorum commovet turbine:

externū. Quæ fert honestum censet, & pulchrum mori:

pag. 117. Et turpe credit non subire vulnera,

Belli tumultu si laboret patria.

Extrema Tamen furentes impetus audacia

Fortitudinis pag. Ratione frænat, sicut & timidos fugit,

Et deserentes signa condemnat, metu.

118. Vittute clari, & militari gloria,

Et Tullus audax, Cocles in Thybrim datus,

Siciniusque, torque clarus Manlius,

Et Theramenes Critiæ bibens suo:

Ad astra clarum fama Marcellum tulit,

Leonidemque, Sparta quem fortè dedit.

Temperā- ria, owo- Rursum secunda sede Temperantia est,

Φροσύνη Moderata virtus, quæ decenter appetit,

quid? Fugitque cauta, quæ voluptas blandula,

pag. 125. Et melle fragrans sensibus subjicerit.

Objectum Lascivientes luminum regit faces,

voluptas Et audiendis ludicris ponit modum:

sensuum. Ad hæc odorum cinnami que copiam,

pag. 127. (Quam vel Sabæus legit aut felix Arabs)

Luxumque damnat: helluones improbat,

Et ventricosis ebræis scribit dicam:

Soeos beatos sobrios ritæ putat:

Tactum.

M O R A Z E S:

Tactum gubernat, quem Cupido fervidus;
 Aut nuda suafit Cypis, aut decens Venus.
 Extremitates hinc, & hinc, Intemperans,
 Stuporque sensus, brutaque insensatio.
 Frugi Lycurgus Spartiata nobilis,
 Frugi Pericles, Socrates parcæ dapis:
 Ponti tyrannus stabat inter prandia;
 Demetriique nota sunt jejunia;
 Zenone nullus temperantior tamen.

Perfecta virtus tertia est, quæ Largitas
 Vulgo togatis dictitata gentibus:
 Est rectitudo, quæ pecuniis præst,
 Quas vel decenter erogat, vel accipit,
 Semperque honestum respicit quovis modo.
 Virtutis ejus $\chi\epsilon\nu\mu\alpha\zeta$ objectum, atque opes
 Nulli invidendas, quas libenter collocat
 Doloris expers; cogitat quantum satis,
 Quibusque donet, & locet quo tempore.
 Extrema sunt $\alpha\omega\tau\alpha$; ac tenacitas
 Intenta lucro, sordibusque dedita.
 Vespasiani nota Liberalitas,
 Antoniique, & Gratiani Cæsarum;
 Vatumque summus æstimator Cilnius,
 Et eruditus pulveris Constantius:
 Sed largitate præstigit cunctis Cimon,
 Qui multa amicis, pauperi, servis dedit.

Cognata virtus sumptibus gaudet magis,
 Et magna spectat, Attali famam studet
 Æquare factis, quærerit in summis decus,
 Æterna volvit, & secunda marmora,
 Locat struendis Principum palatiis,
 Templis columnas Africæ excisas jugis.
 Monumenta regum, & Memphidos miracula
 Æquanda Olympo, mente tota concipit.
 Molitur arces, turribus cœlum petit,
 Theatra, portus, porticus Zenonias,

*Extrema
Tēperan-
tia. pag.
127.
128.*

*Liberali-
tas, ε-
λεύθε-
ρείας,
quid?
pag. 129.*

*Objectum
Liberali-
tatis. pag.
129.*

*Extrema
Liberali-
tatu. pag.
131.*

*Magnifi-
centia.
 $\mu\epsilon\gamma\alpha\lambda\alpha$.
 $\pi\epsilon\pi\delta\alpha$.
pag. 133.*

Metata

I A M B I

Metata latis exstruit decempedis;
Vulgare quidquid spernit, & pietas trabes.
Incendit auro, pingit æratas fores,
Aulæa tollit, vasa signis horrida
Abacis reponit, prandioque publico
Donat clientes, sumptuum nunquam piget.

Extrema Contra decorum si quid horum omittitur,
sunt Pu- Sumptusque fiant anxie, est Pusillitas:
silitas, & Egressa fines aulico fastu tumens,
Ostentatio. Et unionum prodiga, ostentatio est;
pag. 134. lactantiæque non ferenda gloria.

Magna- Magnanima virtus, mentis arduæ bonum,
nimitas, Laudat secures, fascibusque ducitur,
peccato- Intenta famæ, maximisque honoribus;
-Pvxfæ. Quibus appetendis, & gerendis eligit
pag. 135. Id, quod decorum maxime, & laudabile,
Contrariumque quod minus decet, fugit.

Objectum Objecta honores consularis purpuræ,

Magna- Privatioque laudis, & carentia.

nimita- Mens alta magni pectoris dignoscitur,
zii. p. 135. Quod sese honore quodlibet dignum putet,

Magna- Votique compos, gaudium in sinu fovet,

nimita- Majora sperat, nec secundis tollitur

tis pro- Immota, spernit sortis alternæ vices:

priæqua? Nihil stupendum deputat, magnum nihil,

pag. 135. His major ipsa; susque deque injurias,

Calumniasque civium vanas habet,

Secura recto: munus acceptum refert

Majore semper lance, nunquam vincitur;

Et candidatæ si petendus fascium

Honos videtur, tardior venit gradu:

Patiens repulsæ, summa semper appetens;

Aperte amica, nemini parcit malo.

Quæcunque sentit, libere pronuntiat;

Constantiamque servat in vita gravem.

Ruisus recenset rarioꝝ laudes viri

Aman.

M O R A L E S.

Amantis æquum, sed silentio premit.
Nec dente carpit livido famæ decus;
Pericla vitat, nec subit vulgaria,
Sed magna tantum, parca nec vitæ suæ.
Excelsa virtus fulsit Albini ducis,
Qui stratus inter militum strages datas,
Trophæa volvit, hostiumque ancilia
Resuscitato spiritu fixit Iovi.

Extremitates hinc, & hinc pugnantium
Sunt arrogantes, & pusilli pectoris:
Illi secundis turgidi fastu tument,
Et metiuntur purpura verum decus,
Et magna spirant ebrii successibus:
His mens pusilla, quæque nec notit sua,
Dignique cum sint fascium summis bonis,
Indignitatem semper incusant suam.

Cognata celsis mentibus Modestia est
Submissa virtus, ambituque æquabilis;
Non invidendis fascibus mitis studet:
Ebur curule, purpuramque despicit,
Humilisque laxæ syrma non trahit togæ,
Contenta focco. Si quod obtigit decus,
Et fama justi nominis, premit sinu.
Nunquam Modestus gaudio attollit caput,
Compos honorum; nec negatis invidet,
Doletque raptis: arrogat nihil sibi:
Nec humiliore despicit quemquam loco,
Suum tuerit, commodus silentio.

Extrema damnat, ambitus fastum levem,
Cupidinemque non decentis gloriæ,
Animumque nullis erigendum fascibus.
Mansueta virtus ponit irato modum,
Facilisque flecti lacrymis Clementia,
Sufflamen iræ, quando mens exorbitat.
Hæc illa virtus, quæ facit mitescere
Animos feroces, vim leonis insitam;

Magna-
nimita-
tu Extre-
ma, με-
γραψύ-
χα, pu-
sillanimi-
tas, φ-
χωνό-
της, ar-
rogantia.
pag. 138.
Modestia
συφερ-
σιν.
pag. 142.
Extrema
Mode-
stia, Φε-
λοπίδια,
Ἐ αἴφι-
λοπίδια.
pag. 243.
Mansue-
tudo φ-
Clemen-
tia, πειθ-
οτης,
quid sit?
pag. 144.

Ebul.

I A M B I

- Extrema** Ebullienti sanguini imponit moras.
Clementia, & varia eius. Nec damnat iram causam quam justam facit,
 Quibusque oportet contumax irascitur,
 Et turpe tursum credit irasci bonis.
jus nominis. Hac mente Cæsar victor, & potens sui,
 na. In ex- Pepercit iræ cæteris clementior;
cessu, Ira. Solatus hostes, juvit infestum sibi,
 cundia, Et ambientem Memmum fasces novos.
οργηλια. Famosa Calvi scommata, & salsos jocos,
Implacabilitas, Nec non Catulli stigmatum diras notas
 Excepit æqua mente, contempse minas:
πνευμα- Statuamque Syllæ, quam tumultus publicus
 της. Stravit, reponi jussit in suum decus.
Sævitia, Extremitatis nomina excessu latent,
^{χαλεπό-} Nam bilis attræ copia, iracundia est,
 της. pag. Et quæ dolorem concipit causam ob levem,
 146. Animosque ponens flectitur spatio brevi.
In defensione, σιο- Et rursus ira difficulter solvit,
 γνοία, Quam sola justi temporis domat mora.
Lenitas Sed sævientis pectoris major furor,
 nimia, & Quique obstinatus talionem cogitat,
Indulgentia. pag. Animoque vulnus condit implacabili,
 Nec ponit æstum biliosi sanguinis,
 Hostem priusquam vindicavit dextera.
 147. Defectus autem Lenitas præpostera,
Virtutes in con- Et Lenitati proxima Indulgentia,
 versatione civili, Damnoſa cuivis, maxime Rectoribus,
 tres. Reique quotquot publicæ clavum tenent:
 Nam disciplinæ robur enervat merum,
 Scelerumque laxat omnium repagula
 In civitate non ferenda impunitas.
Affabilitas, grace Nec improbanda civium congregibus
 οντωσο. Humanitas, Veracitas, & Comitas,
 ηδεια. Quam Gratiarum conjugavit copula,
 pag. 150. Amica vitæ, & mutuo commercio,
 Sermonis illa Suada, & Eloquentia

Innata.

M O R A L E S.

Ianata labris, gestibusque humanitas,
Quæ quid decorum maxime in sermoni-
bus

Spectare gnara, spernit affatus leves,
Gnathonicosque, blandulosque devovet
Morata gestus, tetricos semper nova
Morositate damnat extremo malo
Contentiosos bilis atræ filios.

Secunda virtus veritatis arbitra,
Sinceritasque, candor, & nudum decus,
Et absque fuso, fictionis nescia,
Sermione, gestu, vestium velamine,
Omniq[ue] vita semper æqualis sibi.
Sed veritati vanitas opponitur,
Mendaciumque, frausque consutis dolis,
Blandæque linguæ fascinum, & virus no-
Extremitates veritatis; arrogans, (cens.
Qui vana jactat, arte fumos venditans;
Et versipellis; quiq[ue] fallacem gerit
Sub corde vulpem, quiq[ue] pectoris sinu
Aliud recondit, aliud ore jactitat;
Et doctus ēγεων fallere, & cassus fide.

Postrema virtus blanda conversatio est,
Urbanaisque, quæ facetiis studet,
Salibusque gaudet, quatenus decet virum
Recti tenacem, ludere atque uti jocis.
Requies laborum, pectoris solarium
Curis subacti, robut alternis redit.
Verum in jocosis hæc tenenda cautio est,
Ne vel profani, aut scenici risus sales,
Vel impudica effutiantur scommata.
Placent acuta ludicra, & multi salis:
Extrema peccant, vel joci scurrilitas,
Vel inficetæ, rusticæque fabulæ.
Sed ne indecori in rebus, aut sermoni-
bus,

Extrema:

blandus, &
adulator. pag.
151. moro-
sus, & con-
tentiosus. pag.

152.

Veracitas, ἀ-
ληθεία. pag.

152.

Veracitati op-
ponitur in ex-
cessu. Arro-
gantia. in defer-
tu ei gareiā.
pag. 153.

Comitas, θυ-
ραινεία;
quid? p. 169.

Extrema, βω-
μηλοχία,
scurrilitas, in
excessu: & A-
γειότης, ru-
sticitas, in
defectu. p. 161.

Verecundia,
αἰδώς quid?
pag. 162.

Quic-

I A M B I

Quicquam geratur , conscius vetat Pudor.
Non ipsa virtus, fida virtutis comes,
Custosque honesti est , gemma morum ful-
gurans.
Vitæ Magistra facta castigat mala:
Nec turpe quicquam suadet , aut patrat
scelus.

*Extrema; na-
turalia, &
eivis; xw-
r. p. 163.* Metuit pudendum dedecus, rectrix sui;
Infamiamque vitat, ut dirum nefas ;
Duræque frontis odit impudentiam,
Pavidasque mentes ponit extremo loco.

*Nemesis. pag.
163. 164.* Affectus alter moribus laudabilis,
Quem justa turbat ira , & indignatio est,
Tumens dolore , bile perfundit jecur
Minax flagello fontico Rhamnusia,
Cum mente volvit immerentis præmia,
Dignos haberi laude Thersitas meros,
Et promoveri Lentulorum sanguinem,
Et posthaberi nata famæ nomina,
Metitisque claros , destitutos gloria.
*Extrema,
φοντος, και
επιχαρεν-
νια. pag. 164.* Extrema Livor , & comes successuum
Feliciorum pessima Invidentia,
Malignitasque livida , & gaudens malis.

*Iustitia, di-
nugosun,
duplex; Uni-
versalis, Par-
ticularis.
165.* ASTRAEA restat, juris antistes sacri,
Iustique rectrix, pacis ac legum datrix,
Idea recti , legibus consentiens.
Natura Iusti , quaque se pandit Themis
Diffusa latè, partium in divortia
Abit bimembrys : universæ sumitur,
Specie deinde propria distinguitur.
Sed universa sedis augustæ Themis,
Non una tantum, simplicisque essentiæ est,
Sed tota virtus , quæque virtutes habet
*Virtutum E-
pitome. pag.
165.* Veluna cunctas pectoris sacrario.
Hæc summa virtus, quaque non majus bo-
num.

In:

M O R A L E S.

In arce virtus hæc locanda Cœlitum,
Interque tantum pulchra virtutes nitet,
Quantum inter ignes prævium Solis jubat.
Hæc est volendi affectio, & constantia,
Quæ prompta semper, & parata jugiter.
Ad res gerendas quilibet, justas tamen:
Hæc jus tuetur publicum, & privos lares,
Seu legis illud, sive Naturæ bonum:
Hæc æquitatis arbitra, & legum parens.

Species secunda est, quamque commendat
Themis,

Constans voluntas cuique dandi quod suum est:
Extrema cajus plus, minusve dicimus.
Medio locata Iuris est æqualitas:
Hinc inde justi continetur terminis,
Ut nec minora, aut largiora conferat,
Meritique semper justa sit proportio.

Verum illa rursus partibus distat suis,
Distribuit una, corrigit sed altera;
Vtraque justa lance metitur bona.
In civitate, reque publica prior.
Versatur æqua, præmia aut pœnas ferens:
Tribuit merenti præmia, & pœnam malis:
Quæ robur ingens urbi dixit Solon,
Rerumque firma publicarum vincula.
Sed qualis ista partium proportio?
Disjuncta, qualem judicat mensor soli:
Persona qualis, talis & collatio:
Proportione dona respondent viris,
Et munus omne metiendum honoribus,
Virtutibusque singulorum æqualiter.
Sic lex perennat, resque florent publicæ.

Iustitia vero quæ regit commercia,
Contractibusque civium præst bonis,
Mutationis, Emptionis arbitra,
Iuris vocatur debiti correctio;

Ad eam
pertinet
æmici-
xæs, &-
quitas.
pag. 167.

Iustitia
particu-
laris,
quid sit?
pag. 170.
extremæ:
pag. 171.

Iustitia
particu-
laris du-
plex. pag.
171.

Distrin-
butiva.
justitia.
pag. 171.

Ejus Pro-
portio.
pag. 172.

Iustitia
commu-
tativa.
seu cor-
rectiva.
pag. 176.

Quæ

I A M B E

- Proportio Quæ lance justa Iuris & prudentia
illiū. Iniqua pensans, corrigit quovis modo :*
- pag. 177. Æqualiumque calculorum supputans
Numeros recenset. Nuda rerum qualitas,
Æqualitasque justa spectatur prior ;
Persona cessat, dignitasve nominis.
Sed sacra Themidos ingredi mihi cautio est,
Phœbique mystæ ; Iuris hæc scientia est.*
- Virtutes Celebrata virtus appetitum corrigenſ
Agon- Iam restat illa, dia quæ mentem regit,
tivæ, & Cognata cœlis, igneæ sedis vigor,
earum Sine qua, nec ipsa moribus virtus juvat.
faculta- Sed mentis almæ functio rursum duplex,
tes. p. Quarum ad sciendum maximè prior valet,
184. Et consulendo comparatur altera.*
- Scientia, Sed prima virtus Mentis, est scientia,
enig- Scientiæque certitudo maxima,
men. pag. Quæ scire causas proximas felix jubet.
186. Secunda virtus artium sit regula.
Sed summa virtus Mentis est Prudentia,
Ars, qua Moralibusque disciplinis quæ præſt;
tēxyn Quæque actiones singulares dirigit ;
grace. Intenta fini, respicit semper bonum,
pag. 186. Fugitque damnum cautione provida.*
- Pruden- At quarta virtus mentis igneæ vigor,
tia, φρό- Quique apprehendit notiones principes.
νησις. p. Suprema virtus mentis est Sapientia.
187. Pulcherrimarum rerum ea est Scientia,
Intelle- Et absoluta maximarum notio,
ctus, vñs. Apex sciendi derivatus cœlitus,
pag. 188. Vitæque norma sanctioris Lesbia :
Sapien- Mater beatæ mentis, artium parens ;
tia, σο- Animæ medela, portus, & mentis quies.
φία pag. Pellit timores, frænat impetus leves,
189. Animique tollit fortis impotentiam :
Cupidinesque mentis efferat domat.*

Hæc

M O R A L E S.

Hæc nosmet ipsos noscere , & Deum jubet,
Quo nulla tertis major est felicitas.

Sed nec premenda inglorio silentio
Heroa virtus , culmen atque apex boni;
Splendore quæ vel Solis anteiret jubar,
Sublimitate montium transit juga,
Æquanda cœlo, nubium tractus petit.
Lateque regnans quoſlibet compleſtitur
Habitus beatos, grande virtutum decus,
Et major alma viribus mortalium,
Beatiore mentis afflato tumens.
Hac arte cœlum natus Alcmena petit,
Cretensiumque legibus Minos datus
Late tyrannus: Reguli fulſit fides,
Ardente dextra Scævolæ constantia.

Ergo illa virtus maxima, & ſumnum bonū,
Divina virtus, nulla qua perfectior,
Perfectionis cæteras ſuperans gradu,
Manente forma , major excellentia.

Feritas repugnat, belluina immanitas,
Rabies patrandi quælibet nefaria :
Libido qualis effera eſt in belluis ;
Qualis Tyrannis , Atrei infandæ dapes,
Quique ora functis enecant viventium,
Aut mugientes ære qui torrent viros.

Iam reſtat una, rara quam colit Fides
Amica vitæ, mentium coagulum,
Affectioque demerendi mutua,
Cognata Iusto , civiumque vinculum,
Concordiæque publicæ præſens bonum:
Sine qua beatus eſſe nec potest homo,
Et qua remota vita nec felix datur.


Virtutis hæc ſit clauſula, & ſummi boni,
Coronidisque quæ tuebitur locum.

*Virtus
heroica;
qua gra-
du, non
specie, ab
aliis vir-
tutibus
differt.
pag. 189.
190.*


*Feritas
θνειό-
της. pag.
190.*

*Amicitia
φιλία.
pag. 190.*

F I N I S.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [1]